Τί μέρος μὲν οὖν ἐστὶ καὶ λόγος, καὶ τίνα ὁμογενῆ ἅμα καὶ τί ἀναλογία εἴρηται μὲν ἀκριβέστερον ἐν τοῖς περὶ τῆς ἀριθμητικῆς στοιχειώσεως. νῦν δὲ λέγομεν: ὅτι ὡς ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοιογενῶν ἡ ἀναλογία ἐφαρμόζει· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς μεγέθεσιν ὁμοιογενῶν. Λόγον ἔχειν πρὸς ἄλληλα τὰ μεγέθη λέγεται· ἃ δύναται πολλαπλασιαζόμενα ἀλλήλων ὑπερέχειν. πρὸς δὲ τοὺς ἀντιθέτους τῷ ὅρῳ τούτῳ· καὶ λέγοντας· ὅτι μόνα λόγον ἔχει πρὸς ἄλληλα, ἃ δύναται πολλαπλασιαζόμενα ἀλλήλων ὑπερέχειν. οὐδὲν δὲ οὕτως ὁμογενὲς, ὡς σημεῖον σημείου· ἄρα ὅτι πολλαπλασιαζόμενον τὸ σημεῖον, ὑπερέξει τοῦ σημείου. πρὸς δὲ τούτους ῥητέον, ὅτι τὸν κατὰ μέγεθος πολλαπλασιασμὸν οὐκ ἐπιδέχεται τὸ σημεῖον. ὁ γὰρ ἀπευκλεῖ μεγέθους· τοῦτο ἀπευκλεῖ καὶ τοῦ κατὰ μέγεθος πολλαπλασιασθῆναι. μόνως δὲ ἐπιδέξεται πολλαπλασιασμὸν κατ' ἀριθμὸν οὕτως. ἐπειδὴ ἐν τῇ εὐθείᾳ ἄπειρα ἐστὶ σημεῖα, τὰ τοσάδε τοσῶνδε ἐστὶ πολλαπλάσια· ὅλως τι ὡς περὶ μεγέθους διαλέγονται τοῦ, ἔχοντός τινα διάστασιν. τοῦ στοιχειωτοῦ ἄντικρυς· τὸ μὲν σημεῖον ἀμερές· λόγον δὲ ἔχειν πρὸς ἄλληλα τὰ μεγέθη εἰπόντος.

Ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ μεγέθει λέγονται πρῶτον πρὸς δεύτερον· καὶ τρίτον πρὸς τέταρτον· ὅταν τοῦ πρώτου καὶ τοῦ τρίτου ἰσάκις πολλαπλάσια τῶν τοῦ δευτέρου καὶ τετάρτου ἄλλων ὡς ἔτυχε ἰσάκις πολλαπλασίων ἢ ἅμα ὑπερέχει ἢ ἅμα ἐλλείπει: ἢ ἅμα ἴσα ἢ ληφθέντα κατ' ἄλληλα. τὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον ἔχοντα ἀνάλογον καλείσθω. Αναλογία δ' ἐν τρισὶν ὅροις ἐλαχίστοις ἐστίν. ἐν ταῦθα ὅρων λαμβανομένων ἤτοι τῶν μεγεθῶν, ἤτοι τῶν ἐπικειμένων αὐτοῖς ἀριθμῶν. ὡς γὰρ κύκλου ὅρος ἐστὶν ἡ περιφέρεια, καὶ τριγώνου αἱ πλευραὶ οὕτω τοῦ θ πρὸς τὸν ϛ λόγου ὅροι εἰσὶν οἱ αὐτοὶ ἀριθμοί. Οταν δὲ τρία μεγέθη ἀνάλογον ᾖ, τὸ πρῶτον πρὸς τὸ τρίτον διπλασίονα λόγον ἔχειν λέγεται ἢ πρὸς τὸ δεύτερον φησὶ γοῦν Ερατοσθένης, ὅτι ὥσπερ ἐπὶ τῶν διαστημάτων ἴσων καὶ κατ' εὐθεῖαν κειμένων τὰ διαστήματα διπλασιάζεται: οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν λόγων, ὡσανεὶ κατ' εὐθεῖαν κειμένων, τὸ α πρὸς τὸ γ διπλασίονα λόγον ἔχει ἤπερ πρὸς τὸ δεύτερον. τὰ γὰρ θ τῶν ϛ ἀφέστηκεν ἡμιολίῳ καὶ τὰ ϛ τῶν δ τῷ αὐτῷ ἡμιολίῳ. τὰ ἄρα θ τῶν δ ἀφέστηκεν δύσιν ἡμιολίοις. καὶ γὰρ αἱ ὑπεροχαὶ αἱ δύο τῇ μιᾷ εἰσὶν αὐταί. οἷον ὡς ἐπὶ τῶν θ. καὶ τῶν δ. ὑπερέχει γὰρ ὁ θ τοῦ ϛ τοῖς τρισίν: ὑπερέχει δὲ καὶ οἱ ϛ τῶν δ τοῖς δυσίν. τὰ δὲ τρία καὶ τὰ β συντεθέντα ποιεῖ τὸν πέντε. ὅς ἐστι τῆς θ καὶ δ ὑπεροχή. Ὥσπερ δὲ ἀπὸ τῶν μειζόνων ἐπὶ τοὺς ἐλάττονας αἱ ὑπεροχαὶ ποιοῦσι διπλασίους λόγους καὶ τριπλασίους· οὕτως ἀπὸ τῶν ἐλαττόνων αἱ ἐλλείψεις. Ὅταν δὲ τῶν ἰσάκις πολλαπλασίων τὸ μὲν τοῦ πρώτου πολλαπλάσιον· ὑπερέχει τοῦ τοῦ δευτέρου πολλαπλασίου, τότε τὸ πρῶτον πρὸς τὸ δεύτερον, μείζονα λόγον ἔχειν λέγεται ἢ τὸ τρίτον πρὸς τὸ τέταρτον. Ἐν δὲ ταύτῃ τῇ ὑπογραφῇ τοῦ ὅρου, βεβούλεται ὁ Εὐκλείδης εἰς ὑπόνοιαν ἡμᾶς ἀγαγεῖν καὶ παραστῆσαι ἐν τρισὶν εὑρίσκεσθαι δεῖ μείζονα λόγον λόγου· καὶ ἐπεὶ τὰ ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ κεχαρακτηρεῖσθαι ἀπὸ τῶν ἰσάκις πολλαπλασίων ἤτοι ἅμα ὑπερεχόντων ἢ ἅμα ἴσων ὄντων, ἢ ἅμα ἐλλειπόντων· τὰ ἐν μείζονι λόγῳ ὄντα· ἐκεῖνα ἔχειν τὴν ὑπεροχήν. ὅπως δὲ γίνεται ὑπεροχή· αὐτὸς ἐν τῷ πέμπτῳ τῆς καθόλου λόγων στοιχειώσεως ἐν τῷ θεωρήματι τῶν ἀνίσων μεγεθῶν ἐπέδειξεν. Ὁμόλογα μεγέθη λέγεται εἶναι· τὰ μὲν ἡγούμενα τοῖς ἡγουμένοις· τὰ δὲ ἑπόμενα τοῖς ἑπομένοις. Λόγος μὲν εἴρηται ὅτι δύο ὁμογενῶν ἐστιν ἡ πρὸς ἄλληλα σχέσις: ἐπὶ δὲ τῶν μεγεθῶν λέξωμεν ἰδίως, ὅτι λόγος ἐστὶ δύο μεγεθῶν ὁμογενῶν ἡ κατὰ πηλικότητα ποία σχέσις: ὡς εἶναι καὶ ἐπ' αὐτῶν ἀναλογίαν τὴν τοιούτων λόγων ὁμοιότητα. Ἀνάπαλιν λόγος ἐστὶν ὁ τοῦ ἑπομένου, πρὸς τὸ ἡγούμενον. Συνθέντι λόγος ἐστὶν λῆψις τοῦ ἡγουμένου μετὰ τοῦ ἑπομένου ὡς ἑνὸς πρὸς αὐτὸ ἑπόμενον. τὰ δ' ἄλλα ὁ στοιχειωτὴς ἐν τῷ πέμπτῳ τῆς καθόλου στοιχειώσεως διορίζει. Η ἄπειρος γραμμὴ οὐδὲ πολλαπλασιάσαι δύναται ποτέ: οὐδὲ συγκρίνεσθαι ἕτερον πρὸς ἕτερον. τὰ γὰρ μὴ ὁμογενῆ: οὐ δύναται λόγον ἔχειν πρὸς ἄλληλα ποίαν σχέσιν. οἷον γραμμὴ πρὸς γραμμὴν, καὶ ἐπιφάνεια πρὸς ἐπιφάνειαν, καὶ τὰ λοιπὰ ὁμοίως. Τῶν ἀναλογιῶν μὲν, αἱ μὲν εἰσὶ συνεχεῖς: αἱ δὲ διεχεῖς: συνεχεῖς μὲν αἱ συνεχῶς, καὶ ἀδιακόπως ἔχουσαι τὰς σχέσεις: διεχεῖς δ' εἰσὶν ὅταν μὴ οὕτως ἔχουσιν οἱ λόγοι: ἀλλὰ διῃρημένοι ἀπ' ἀλλήλων: καὶ μὴ ὑπὸ τοῦ μέσου ὅρου συναπτόμενοι ἀλλήλοις. ὁ γὰρ μέσος ὅρος τοῦ μὲν ἡγεῖται: τοῦ δὲ ἕπεται. συνεχὴς, ὡς $\bar{\eta}$, $\bar{\delta}$, $\bar{\beta}$. διεχὴς ὡς ἡ πρὸς δ, καὶ $\bar{\varsigma}$ πρὸς $\bar{\gamma}$ λόγος: ἐστι διάστημα τὸ μεταξὺ τῶν μεγεθῶν τῶν ἐκκειμένων.

Περὶ

Περὶ συμμέτρων καὶ ἀσυμμέτρων ὁ στοιχειωτὴς ἐν τῷ δεκάτῳ τῆς στοιχειώσεως βιβλίῳ πολλὰ παραδίδωσι.

Τὸ ῥητὸν καὶ ἄλογον μέγεθος, ἑκάτερον οὐκ ἐστὶ τῶν καθ' ἑαυτὰ νοουμένων· ἀλλὰ πρὸς ἕτερον συγκρινομένων. ὅσα γὰρ ἀλλήλοις σύμμετρα· ταῦτα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα λέγεται. οἱ μὲν ἀριθμοὶ σύμμετροι τυγχάνουσιν· ἐπεί περ ἕκαστος αὐτῶν ὑπό τινος ἐλαχίστου μέρους μετρεῖται. ὁμοίως δὲ πῆχυς, καὶ παλαιστής, συμμετρίαν ἔχουσι πρὸς ἀλλήλους. ἑκάτερον γὰρ ὑπὸ ἐλαχίστου μέτρου καταμετρεῖται ὑπὸ δακτύλου. * * τῶν μέτρων ὄντων μονάδος θέσιν ἔχοντος αὐτοῦ. ἀπείρου δὲ ἐν τοῖς μεγέθεσιν ὑπάρχοντος, καὶ μηδενὸς ὑφεστηκότος ἐλαχίστου μέτρου. δῆλον ὅτι τοῦ ῥητοῦ μεγέθους οὐχ ἕν τι ὡρισμένον, ὡς ὁ δάκτυλος ἐλάχιστον μέτρον· ἀλλ' ἐφ' ἡμῖν ἐστιν ὁ πηλίκον ἂν θέλωμεν ἐλάχιστον ὑποθέσθαι μέτρον γνώριμον· ἐν ᾧ ἡ μονάς. πᾶν γὰρ καθ' ἑαυτὸ μέγεθος ὡς ἐλέχθη οὔτε ῥητὸν οὔτε ἄλογον. ὅτι καὶ πᾶσα εὐθεῖα καθ' ἑαυτὴν οὔτε ῥητή, οὔτε ἄλογός ἐστι. συγκρινομένη δὲ πρὸς ὑποτεθεῖσαν ἐν θέσει μονάδα· ῥητὴ ἢ ἄλογος εὑρίσκεται. οὕτως γοῦν τῆς τετραγώνου πλευρᾶς ὑποτεθείσης ῥητῆς· ἡ διάμετρος δυνάμει ῥητὴ εὑρίσκεται· μήκει γὰρ ἄλογος εὑρίσκεται· καὶ πάλιν οὖν τῆς διαμέτρου ῥητῆς ὑπαρχούσης· ἡ πλευρὰ δυνάμει ῥητή. ἑκατέρας αὐτῶν καθ' ἑαυτὴν οὔτε ῥητῆς, οὔτε ἀρρήτου τοῦτ' ἐστὶ ἀλόγου ὑπαρχούσης. Οὕτως γοῦν τῶν εὐθειῶν ἐλαχιστόντι μέτρον ὑποθέμενοι εὐθεῖαν μονάδων· οἱ ἀπὸ τῶν μαθημάτων ῥητὴν ὀνόμαζον· καὶ τὰς αὐτῆς συμμέτρους ῥητάς· ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς τετράγωνον ῥητόν· καὶ τὰ τούτῳ χωρία σύμμετρα· ῥητὰ ἐκάλεσαν· καὶ ῥητὸν ὁμοίως, τὸν ἀπ' αὐτῆς κύβον, καὶ τούτῳ σύμμετρα στερεά. Ἀρρητον δ' ἀκουστέον τοῦτ' ἐστὶν ἄλογον στερεὸν μὲν τὸ ἀσύμμετρον τῷ ἀπὸ ῥητῆς κύβῳ· ἐπίπεδον δὲ, τὸ ἀσύμμετρον τῷ ἀπὸ τῆς ῥητῆς τετραγώνῳ. μῆκος δὲ τοῦτ' ἐστὶν εὐθεῖαν ῥητὴν σομμέτρου. ἐπὶ δὲ τῶν εὐθειῶν διττῆς νοουμένης τῆς συμμετρίας· μιᾶς μὲν ὅταν αὗται εὐθεῖαι συμμετριῶσι· τὰ δὲ ἀπ' αὐτῶν χωρία σύμμετρα ἀλλήλοις· ἑτέρας δὲ, ὅταν καὶ τὰ αὐτὰ χωρία ἀσύμμετρα ἀλλήλοις εἰή. διττὴ καὶ ἡ πρὸς τὴν ῥητὴν διαφορὰ

κατὰ

καλεῖ τοὺς παλαιοὺς ὑπῆρχε. αἱ μὲν γὰρ λέγονται δυνάμει ῥηταὶ, αἱ δὲ ἄλογοι: αἱ δὲ λοιπαὶ μήκει: δυνάμει μὲν εἰσὶν ῥηταὶ ὡς προείπομεν ὅσαι μὲν εἰσὶν αὗται ἀσύμμετροι τῇ ῥητῇ: τὰ δὲ ἀπ' αὐτῶν τετράγωνα σύμμετρα τῷ ἀπὸ ῥητῆς τετραγώνῳ: μήκει δὲ, ὅταν τὰ ἀπ' αὐτῶν τετράγωνα ἢ ἐν τετραγώνοις ἀριθμοῖς ἢ τὰς πλευρὰς ἔχει συμμέτρους τῇ ῥητῇ μήκει. καὶ καθόλου καλεῖται ἡ τῇ ῥητῇ σύμμετρος, ῥητὴ εἴτε μήκει, εἴτε δυνάμει μόνον. Ορίζονται γε τὴν ῥητὴν καὶ οὕτως. ῥητὴ ἡ διὰ ἀριθμῶν γνωρίμη: οὐκ ἔστι δὲ ῥητῆς ὅρος οὗτος: ἀλλὰ συμβεβηκὸς αὐτῇ. ὅταν γὰρ λόγου χάριν ἐκτιθῶσι ῥητὰς: τῶν ἀπὸ τῆς πήχεως ῥητῆς: οἴδαμεν ἑκάστην πόσων ἐστὶ παλαιστῶν ἢ δακτύλων: πόθεν, ἐκ τῶν συμβεβηκότων λέγομεν ῥητὴν: διὰ ἀριθμῶν γνωρίμην. διαφέρει δὲ ῥητὴ δοθείσης. τῷ τὴν μὲν ῥητὴν δοθεῖσαν εἶναι πάντως. τὴν δοθεῖσαν δὲ οὐκ ἐξ ἀνάγκης ῥητὴν, ἡ μὲν ῥητὴ καὶ πηλικότητι καὶ ποιότητι γνωρήμη ἐστὶν, ἡ δὲ δοθεῖσα πηλικότητι, καὶ μεγέθει μόνον: καὶ γὰρ εἰσί τινες ἄλογοι δεδόμεναι. Απὸ τῆς προτεθείσης εὐθείας τετράγωνον ῥητὸν λέγει ὁ Εὐκλείδης. προτεθεῖσα

δὲ εὐδὲ εὐθεῖα καλεῖται, ἥτις ἀρχὴ μέτρων καὶ οἷον καὶ κάνων εἰς ἐκμέτρησιν ἡμῖν μηκῶν καθ᾽ ὑπόθεσιν εἴληπται. οἷον εἴ τις προτείνει πόσον εἴη τὸ μεταξὺ διάστημα ὑποκειμένων τινῶν σημείων οὐδὲν ἂν οὐ δεόντως πυνθάνοι τὸ ποσῶν ἐστὶ ποδῶν ἢ πηχῶν: ἀναγκαῖον ἂν δέοι πηχὸς καὶ ποδὸς αἰτεῖν ἡμᾶς παρὰ τοῦ παρέχοντος πηλικότητος: καὶ ἐκείνῃ χρωμένους τῇ προτεθείσῃ καὶ ῥητῇ εὐθείᾳ: τὸ προτεθὲν διάστημα ἐξετάζωμεν εἰ ἐστὶν ὅλως ῥητῷ μέτρον.

Τῶν δὲ ἐν τοῖς μεγέθεσι τῶν μετρήσεων: καταμετροῦνται τὰ ὅλα ἐστὶ τάδε. Δάκτυλος, παλαιστὴ, σπιθαμὴ, ποῦς, πῆχυς, βῆμα, ὀργεῖα, πάντων δὲ ἐλαχιστότερον ἐστὶ δάκτυλος. Διαιρεῖται δὲ καὶ εἰς μέρη ἔσθ᾽ ὅτε μὲν γὰρ καὶ ἥμισυ, καὶ τρίτα καὶ λοιπὰ μόρια. Εἰσὶ δὲ καὶ ἕτερα μέτρα ἐπινενοημένα τισὶ τάδε. πᾶσσον, ἄκαινα, πλέθρον, Ἰούγερον, στάδιον, μίλιον, σχοῖνος, σχοῖνος περσικὴ, καὶ σχοῖνος ἑλληνικὴ, καὶ λοιπά.

ΤΕΛΟΣ.

EVCLIDIS ELEMENTUM PRIMUM EX THEONIS COMMENTARIJS.

Definitiones.

PVnctum est: quod partem non habet.

Linea est: longitudo absq; latitudine.

Termini lineæ, sunt puncta.

Linea recta est: quæ ex æquo posita est inter sua puncta.

Superficies est: quæ longitudinem & latitudinem tantum habet.

Termini superficiei, sunt lineæ

Plana superficies est: quæ ex æquo posita est inter suas lineas rectas.

Angulus planus est: duarum linearum: sese in plano tangentium: & non ex aduerso positarum: mutua inclinatio.

Rectilineum vocamus angulum: quem lineæ rectæ continent.

Cum recta super rectà stans: angulos vicinos, inter se fecerit æquales: rectus est vterque æqualium illorum angulorum.

Recta verò linea, angulos illos æquales faciens: perpendicularis dicitur ad eam lineã, super qua consistit.

Obtusus angulus est: qui recto est maior.

Acutus verò: qui recto est minor.

Terminus est, quod alicuius finis est.

Figura est: quæ termino aliquo, aut aliquibus terminis continetur.

Circulus est figura plana: vna linea cõtenta: (quam vocamus circumferentiam) ad quã ab vno aliquo ex punctis, quæ intra ipsum sunt, omnes lineæ rectæ procidentes: inter se sunt æquales.

Centrum verò circuli: vocatur hoc in circulo medium punctum.

Dimetiens circuli est: recta quædam linea, per centrum circuli ducta: vtrinq; ad circumferentiam circuli desinens: ipsumq; circulũ in duas partes æquales diuidens.

Semicirculus est: figura, quam dimetiens circuli, & intercepta à dimetiente circumferentia continet.

Segmentum circuli est: figura, quam linea recta, & circuli circumferentia continet.

Rectilineæ figuræ sunt: quas rectæ lineæ ambiunt.

Trila-

Trilateræ quidem: quas ambiunt tres rectæ. Quadrilateræ verò: quas quatuor. Multilateræ, quas plures, quàm quatuor rectæ ambiunt.

Ex trilateris autē figuris. Triangulus æquilaterus est: qui tria habet æqualia latera.

Æquicrurus, qui duo tantum habet æqualia latera.

Scalenus triangulus: qui tria habet inæqualia latera.

Item ex triangulis figuris, triangulus rectangulus est: qui angulum habet rectum.

Amblygonius: qui angulum habet obtusum.

Oxygonius: qui angulos tres acutos habet.

Ex quadrilateris figuris: quadratū est, quod æquilaterum est, & rectangulum.

Quadrangulum oblongum: quod rectangulū quidem est, sed non æquilaterum.

Rhombus: quod æquilaterum quidem est, sed non rectangulum.

Rhomboides: quod latera è regione posita habet æqualia: ac etiam angulos æquales: nō tamen est æquilaterū, neq; rectangulum.

Omnes reliquæ præter has, quadrilateræ figu-

ræ: Trapezia vocentur.

Æquedistantes rectæ lineæ sunt: quæ in eodē plano sitæ: & in infinitum ex vtraque par se extensæ: in neutra tamen concurrunt.

POSTVLATA.

Petatur. A quouis puncto: ad quoduis punctū: rectam lineam describere.

Item, lineam rectam finitam: in infinitū vsq; extendere.

Item, quouis centro, & quouis interuallo: describere circulum.

COMMVNES NOTIONES, seu sententiæ.

Quæ eidem sunt æqualia: illa inter se sunt æqualia.

Si æqualibus æqualia fuerint adiecta: etiam tota sunt æqualia.

Si ab æqualibus æqualia fuerint ablata: etiā quæ relinquuntur, sunt æqualia.

Si inæqualibus æqualia fuerint adiecta: etiā tota sunt inæqualia.

Si ab inæqualibus æqualia fuerint sublata: quæ relinquuntur sunt inæqualia.

Quæ sunt eiusdē dupla: inter se sunt æqualia.

Quæ

Quæ eiusdem sunt dimidia: inter se sunt æqualia.

Quæ applicata inter se conueniunt: sunt æqualia.

Totum, est maius sua parte.

Omnes recti anguli: inter se sunt æquales.

Cùm in duas rectas, recta incidens linea: duos internos ex vna parte angulos, duobus rectis facit minores: productæ istæ duæ lineæ rectæ in infinitum: ex ea parte concurrēt: vbi sunt illi duo anguli duobus rectis minores.

Duæ lineæ rectæ, figuram non faciunt.

Propositio prima. Problema.

SVper data linea recta finita: triangulum æquilaterum constituere.

Explicatio dati.) Sit data linea recta finita $\alpha\beta$. (Explicatio quæsiti.) Oportet super linea recta $\alpha\beta$: triangulum æquilaterum constituere. (Delineatio.) Centro α, interuallo $\alpha\beta$: describatur circulus $\beta\gamma\epsilon$. Item centro β, interuallo $\beta\alpha$: describatur circulus $\alpha\gamma\delta$: ducantur deniq; lineæ rectæ $\alpha\gamma$, $\gamma\beta$. (Demonstra-

tio) Quoniam punctum α, est centrum circuli $\gamma\epsilon\beta$: idcirco recta $\alpha\gamma$, est æqualis rectæ $\alpha\beta$. rursus quoniam punctum β, est centrum circuli $\gamma\alpha\delta$: idcirco recta $\beta\gamma$: æqualis est rectæ $\beta\alpha$. Verum demonstratum est: quod recta $\gamma\alpha$: etiã æqualis sit rectæ $\alpha\beta$. Ergo vtraq; rectarum $\gamma\alpha$, $\gamma\beta$: est æqualis rectæ $\alpha\beta$. Quæ verò eidẽ sunt æqualia: illa etiam inter se sunt æqualia. Ergo $\gamma\alpha$ recta: etiam æqualis est, rectæ $\gamma\beta$. Tres igitur lineæ rectæ $\gamma\alpha$, $\alpha\beta$, $\alpha\gamma$: sunt inter se æquales. (Conclusio.) Triangulus itaq; $\alpha\beta\gamma$, est æquilaterus: & consistit super data linea recta finita $\alpha\beta$. Quod faciendum erat.

Propositio secunda. Problema.

AD punctum datum: lineæ rectæ datæ: ęqualem lineam rectam ponere.

Explicatio dati.) Sit punctum datum α: & data recta linea $\beta\gamma$. (Explicatio quæsiti.) Ad punctum datum α: datæ lineæ rectæ $\beta\gamma$: ponenda est recta linea æqualis. (Delineatio.) Ab α puncto, ad punctum β: ducatur linea recta $\alpha\beta$: & super linea $\alpha\beta$: statuatur triangu

lus

lus æquilaterus αδβ. Extendantur etiam lineæ rectæ δα, δβ versus puncta ε, ζ: & fiant rectæ αε, βζ. Centro quoq; β, interuallo βγ: describatur circulus γηθ. Item Centro δ, interuallo δη: describatur circulus ηκλ (secans lineam rectam δζ, in puncto η.) Demonstratio.) Quoniam punctum β, est centrum circuli γηθ: idcirco recta βγ, est æqualis rectæ βη. Item quoniam punctum δ, est centrum circuli ηκλ. igitur recta δλ, est æqualis rectæ δη. Ex quibus δα, fuit æqualis rectæ δβ. reliqua igitur αλ: reliquæ βη est æqualis. Vtraq; idcirco rectarum αλ, βγ: est æqualis rectæ βη. quæ verò eidē sunt æqualia: illa inter se sunt æqualia. quare recta αλ, etiam erit æqualis rectæ βγ. (Conclusio.) Ad datum igitur punctū α: datæ lineæ rectæ βγ: æqualis posita est recta linea αλ. quod faciendum erat.

Propositio tertia. Problema.

DVabus rectis inæqualibus datis: ex maiore, minori æqualem rectā lineam auferre.

Explicatio dati.) Sit data linea recta ma *ior $\alpha\beta$; minor verò γ. (Explicatio quæsiti.) Ex maiore linea $\alpha\beta$: tollenda est recta æqualis lineæ γ. (Delineatio.) Ponatur ad punctũ α: lineæ γ: æqualis recta linea $\alpha\delta$. deinde centro α, interuallo $\alpha\delta$: describatur circulus $\delta\varepsilon\zeta$: (secans rectam $\alpha\beta$, in puncto ε. (Demonstratio.) Quoniam punctum α, centrum est circuli $\delta\varepsilon\zeta$. idcirco recta $\alpha\varepsilon$, est æqualis rectæ $\alpha\delta$. Verum recta γ, etiã est æqualis rectæ $\alpha\delta$. Vtraq; igitur rectarum $\alpha\varepsilon$, γ, est æqualis rectæ $\alpha\delta$. Quare $\alpha\varepsilon$, etiam est æqualis rectæ γ. (Conclusio.) Duabus igitur rectis datis inæqualibus $\alpha\beta$, γ: ex maiore $\alpha\beta$, ablata est $\alpha\varepsilon$: æqualis minori γ. Quod faciendum erat.*

Propositio quarta. Theorema.

SI duo trianguli, duo latera duobus lateribus habuerint æqualia alterũ alteri: & angulum angulo æqualẽ, qui æqualibus rectis lineis continetur: etiam basim basi habebunt æqualem: & triangulus triangulo erit æqualis: et reliqui anguli, reliquis angulis erunt ęquales: alter alteri, quos latera subtendunt æqualia.

Expli-

Explicatio dati.) Sint duo trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\delta\varepsilon\zeta$: *habentes duo latera* $\alpha\beta$, $\alpha\gamma$, *æqualia duobus lateribus* $\delta\varepsilon$, $\delta\zeta$ *alterum alteri: latus* $\alpha\beta$, *æquale lateri* $\delta\varepsilon$: *& latus* $\alpha\gamma$, *æquale lateri* $\delta\zeta$: *& angulum* $\beta\alpha\gamma$, *æqualem angulo* $\varepsilon\delta\zeta$. *(Explicatio quæsiti.) Dico quòd basis* $\beta\gamma$, *sit æqualis basi* $\varepsilon\eta$: *& triangulus* $\alpha\beta\gamma$: *sit æqualis triangulo* $\delta\varepsilon\zeta$: *& reliqui anguli, reliquis angulis sint æquales: alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt: angulus* $\alpha\beta\gamma$, *sit æqualis angulo* $\delta\varepsilon\zeta$: *angulus deniq;* $\alpha\gamma\beta$, *sit æqualis angulo* $\delta\zeta\eta$. *(Demõstratio.) Quando enim triangulus* $\alpha\beta\gamma$, *applicatur triangulo* $\delta\varepsilon\zeta$: *punctum* α, *ponitur super puncto* δ: *& recta* $\alpha\beta$, *applicatur rectæ* $\delta\varepsilon$. *cadet etiam punctum* β, *super puncto* ε. *quia* $\alpha\beta$, *est æqualis rectæ* $\delta\varepsilon$. *Deinde si recta* $\alpha\beta$, *applicatur rectæ* $\delta\varepsilon$: *etiam recta* $\alpha\gamma$, *applicabitur rectæ* $\delta\zeta$. *quoniam angulus* $\beta\alpha\gamma$, *proponitur æqualis angulo* $\varepsilon\delta\zeta$. *quare & punctum* γ, *applicabitur puncto* ζ. *cum recta* $\alpha\gamma$, *æqualis sit rectæ* $\delta\zeta$. *Verum punctum* β *applicabitur puncto* ε. *Basis igitur* $\beta\gamma$: *basi* $\varepsilon\zeta$ *applicabitur. Nam si punctum* β *applicetur puncto* ζ: *& basis* $\beta\gamma$, *non applicetur basi εζ: tum duæ rectæ figurã facient, quod est impoßibile. Basis igitur βγ, basi εζ applicatur: & est ei æqualis. Unde & totus triangulus αβγ: toti triangulo δεζ applicabitur, & ei erit æqualis: & reliqui anguli, reliquis angulis applicabuntur, eisq; erunt æquales: angulus αβγ, angulo δεζ: & angulus αγβ, angulo δζε.* (*Conclusio.*) *Si igitur duo trianguli, duo latera duobus lateribus habuerint æqualia alterum alteri: & angulum angulo æqualem, qui æqualibus rectis lineis continetur: etiam basin basi habebunt æqualem: & triangulus triangulo erit æqualis: & reliqui anguli, reliquis angulis erũt æquales: alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt. quod erat demonstrandum.*

Propositio quinta. Theorema.

TRiangulorum, qui duo æqualia habẽt latera: anguli ad basim sunt æquales. Et productis æqualibus illis rectis: etiam qui sub basi sunt anguli: inter se erunt æquales.

Explicatio dati.) Sit triangulus æquicrurus

rus αβγ, habens latus αβ, æquale lateri αγ. & producantur lineæ αγ, αβ, ἐπ' εὐθείας (hoc est, vt continuè extendantur secundum lineã rectam) & fiant rectæ βδ, γε. (Explicatio quæsiti.) Dico quod angulus αβγ, sit æqualis angulo αγβ. Et quòd angulus γβδ, sit æqualis angulo βγε. (Delineatio.) Sumatur in linea βδ: punctum quoduis ζ. deinde tollatur à maiore linea αε, minori αζ: æqualis linea αη. denique ducantur rectæ ζγ, ηβ. (Demonstratio.) Quoniam recta αζ, est æqualis rectæ αη: & recta αβ, æqualis rectæ αγ: duæ igitur rectæ ζα, αγ: duabus rectis ηα, αβ sunt æquales, altera alteræ: & communem ambiunt ζαη angulum. quare basis ζγ, basi ηβ est æqualis: & triangulus αζγ, triangulo αηβ æqualis est: reliqui etiam anguli, reliquis angulis æquales sunt; alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt: angulus αγζ, angulo αβη: & angulus αζγ, angulo αηβ. Cum verò tota recta αζ, toti rectæ αη sit æqualis: & recta αβ ablata, sit æqualis rectæ αγ ablatæ. idcirco reliqua linea recta βζ: reliquæ rectæ γη etiam erit æqualis. Verum recta ζγ: demonstrata est

æqua-

æqualis esse rectæ $\eta\beta$. duæ igitur rectæ $\beta\zeta$, $\zeta\gamma$: duabus rectis $\gamma\eta$, $\eta\beta$ sunt æquales altera alteræ: & angulus $\beta\zeta\gamma$, æqualis est angulo $\gamma\eta\beta$: basis etiam eorum communis est recta $\beta\gamma$. triangulus igitur $\beta\zeta\gamma$: triangulo $\gamma\eta\beta$ etiam erit æqualis: & reliqui anguli, reliquis angulis æquales: quos æqualia illa latera subtendunt. angulus $\zeta\beta\gamma$, æqualis angulo $\eta\gamma\beta$: & angulus $\beta\gamma\zeta$, angulo $\gamma\beta\eta$. Quoniam nunc totus angulus $\alpha\beta\eta$, toti angulo $\alpha\gamma\zeta$ demonstratus est æqualis: quorum ablatus angulus $\gamma\eta\beta$, ablato angulo $\beta\gamma\zeta$ est æqualis. ergo reliquus $\alpha\beta\gamma$ angulus, reliquo $\alpha\gamma\beta$ angulo est æqualis: & sunt anguli ad basim trianguli $\alpha\beta\gamma$.° Angulus verò $\zeta\beta\gamma$, angulo $\eta\gamma\beta$ demonstratus est æqualis esse: & sunt sub basi.
¶ Conclusio. Triangulorum igitur, qui duo habent æqualia latera: anguli ad basim sunt æquales. & productis æqualibus illis rectis: etiā qui sub basi sunt anguli, inter se erunt æquales. Id quod erat demonstrandum.

Propositio sexta. Theorema.

SI trianguli, duo anguli æquales inter

ter se fuerint: etiam latera, quæ æquales illos angulos subtendunt: erunt inter se æqualia.

Explicatio dati.) Sit triangulus αβγ: habens angulum αβγ, æqualē angulo αγβ. Explicatio quæsiti.) Dico quòd latus αβ: sit æquale lateri αγ. (Delineatio cum hypothesi.) Si enim recta αβ, non est æqualis rectæ αγ: altera illarum erit maior. Hypothesis.) Sit recta αβ maior. (Delineatio.) Ex recta αβ maiore: lineæ rectæ αγ minori auferatur linea recta βδ æqualis: & ducatur recta δγ. (Demonstratio) Quoniam latus δβ, æquale est lateri αγ, & commune latus βγ duo igitur latera δβ, βγ: duobus lateribus αγ, γβ sunt æqualia alterum alteri: & angulus δβγ, angulo αγβ est æqualis. Basis igitur δγ, basi αβ est æqualis: & triangulus αβγ, triangulo δγβ est æqualis: maior minori. quod est absurdū. Quare recta αβ, non est inæqualis rectæ αγ. itaq; erit ei æqualis. (Conclusio.) Si ergo trianguli, duo anguli æquales inter se fuerint: etiā latera, quæ æquales illos angulos subtendunt: erunt inter se æqualia. Id quod erat demonstrandum.

Pro-

Propositio septima. Theorema.

SVper eadē linea recta: duabus eisdem rectis: aliæ duæ rectæ æquales altera alteræ: non statuentur ad aliud, atque aliud punctum: in easdem partes: eosdē habentes terminos, quos lineæ primæ.

Explicatio dati.) Si enim fieri potest: sit linea recta αβ: & super ea duabus rectis αγ, γβ, constitutis: aliæ duæ lineæ rectæ αδ, δβ constituantur æquales altera alteræ: ad aliud atque aliud punctum γ, & δ: in easdem partes γ, & δ: eosdem habentes terminos α, & β: quos lineæ rectæ primæ: ita vt γα æqualis sit δα: & eundem habeat terminum α: recta verò γβ, sit æqualis rectæ δβ: & eundem cum ea habeat terminum β. (Delineatio.) Et ducatur recta γδ. (Demonstratio.) Quoniam αγ recta, est æqualis rectæ αδ: etiā angulus αγδ, erit æqualis angulo αδγ. verum angulus αδγ, maior est angulo δγβ: multò ergo angulus γδβ, maior est angulo δγβ. Item, quoniā latus γβ, est æquale lateri δβ: erit etiam angulus γδβ: angulo δγβ æqualis. Verum ille *ipse angulus $\gamma\delta\alpha$: demonstratus est esse multò maior angulo $\delta\gamma\beta$, quod fieri nequit. (Conclusio.) Super eadem igitur rectâ: duabus eisdem rectis: aliæ duæ rectæ æquales altera alteræ: nō statuentur ad aliud atq; aliud punctū: in easdem partes: eosdem habentes terminos, quos lineæ primæ. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio octaua. Theorema.

SI duo trianguli, duo latera duobus lateribus habuerint æqualia alterū alteri: habuerint verò basin, æqualem basi: etiam angulum angulo habebunt æqualē, quem æquales illę lineæ rectæ continent.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\delta\epsilon\zeta$: habentes duo latera $\alpha\beta$, $\alpha\gamma$: duobus lateribus $\delta\epsilon$, $\delta\zeta$, æqualia, alterum alteri: latus scilicet $\alpha\beta$, æquale lateri $\delta\epsilon$: & latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\delta\zeta$: item basim $\beta\gamma$, æqualē basi $\epsilon\zeta$. (Explicatio quæsiti.) Dico quòd angulus $\beta\alpha\gamma$, sit æqualis angulo $\alpha\delta\zeta$. (Delineatio.) Quando enim triangulus $\alpha\beta\gamma$, applicatur triangulo $\delta\epsilon\zeta$: & punctum β, ponitur super puncto ϵ: linea

nea

nea quoq; recta $\beta\gamma$, applicatur rectæ $\epsilon\zeta$: tum punctum γ, etiam applicabitur puncto ζ: quia recta $\beta\gamma$ est æqualis rectæ $\epsilon\zeta$. (Demõstratio.) Quando verò recta $\beta\gamma$, applicatur rectæ $\epsilon\zeta$: applicabuntur etiam rectæ $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$, rectis $\epsilon\delta$, $\delta\zeta$. Si enim basis $\beta\gamma$, applicatur basi $\epsilon\zeta$, & latera $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$, non applicentur lateribus $\epsilon\delta$, $\delta\zeta$: verum diuersum habuerint situm, vt rectæ $\epsilon\eta$, $\eta\zeta$: constituentur super eadem linea recta: duabus eisdem rectis: aliæ duæ rectæ æquales altera alteræ: ad aliud, atq; aliud punctum: ad easdem partes: eosdẽ habentes terminos, quos lineæ primæ. sed non statuentur ad diuersum punctum. Quare falsum est: quòd applicata basis $\beta\gamma$, basi $\epsilon\zeta$: nõ applicẽtur $\beta\alpha$, $\beta\gamma$, latera: lateribus $\epsilon\delta$, $\delta\zeta$. applicabũtur ergo. Vnde sequitur, quòd angulus $\beta\alpha\gamma$, applicabitur angulo $\epsilon\delta\zeta$, & ei erit æqualis. (Conclusio.) Si igitur duo trianguli, duo latera duobus lateribus habuerint æqualia alterum alteri: habuerint verò basim basi æqualem: etiam angulum angulo habebunt æqualem, quem æquales illæ rectæ lineæ continent. Id quod erat demonstrandum.

Propo-

Propositio nona. Problema.

DAtum angulum rectilineum: per medium secare: vel in duas partes ęquales secare.

Explicatio dati.) Sit datus angulus rectilineus βαγ. (Explicatio quæsiti.) Angulus βαγ: secādus est in duas partes æquales. Delineatio.) Sumatur in linea αβ, punctū quoddā δ: & tollatur ex linea αγ: lineæ αδ: æqualis recta linea αε: postea ducatur linea δε: & statuatur super linea δε: triangulus æquilaterus δζε: deniq; ducatur linea αζ. (Explicatio iam factæ delineationis.) Dico quòd linea βζ: in duas partes æquales secet angulum βαγ. (Demonstratio.) Quoniam recta αδ: æqualis est rectæ αε: & communis est recta αζ: idcirco duo latera δα, αζ: duobus lateribus εα, αζ: sunt æqualia alterum alteri: & basis δζ: æqualis basi εζ. Angulus igitur δαζ: angulo εαζ est æqualis. (Conclusio.) Datus igitur angulus rectilineus βαγ: per lineam rectam αζ: est dissectus in duas partes æquales. Id quod faciendum erat.

Propositio decima. Problema.

DAtam lineam rectam finitam: in duas partes ęquales secare.

Explicatio dati.) Sit data linea recta finita αβ. Explicatio quæsiti.) Linea recta finita αβ: dissecanda est in duas partes æquales. (Delineatio. Statuatur super recta αβ: triangulus æquilaterus αβγ: & secetur angulus αβγ: in duas partes æquales, per lineam rectam γδ. (Explicatio factæ delineationis.) Dico quòd recta αβ: secta sit in duas partes æquales, in puncto δ. (Demonstratio.) Quoniam recta αγ: est æqualis rectæ γβ: & communis recta γδ: duo igitur latera αγ, γδ: duobus lateribus βγ, γδ sunt æqualia alterũ alteri: & angulus αγδ, est æqualis angulo βγδ. Ergo basis αδ: est æqualis basi βδ. (Conclusio. Data igitur linea recta finita αβ: secta est in duas partes æquales in pũcto δ. Id quod faciendum erat.

Propositio vndecima. Prollema.

DAtæ lineę rectæ; à dato in ea puncto: ducere lineam rectam ad angulos

gulos

gulos rectos: id est, rectos facientẽ angulos.

Explicatio dati.) Sit data linea recta $\alpha\beta$: & datum in ea punctum γ. (Explicatio quæsiti.) Ducẽda est à puncto γ: linea recta, rectos faciens angulos cum linea $\alpha\beta$. (Delineatio.) Sumatur in linea $\alpha\gamma$, quoduis punctum δ: & fiat linea $\gamma\delta$, æqualis lineæ $\gamma\epsilon$. Et statuatur super linea $\delta\epsilon$: triangulus æquilaterus $\delta\zeta\epsilon$: deniq; ducatur recta $\zeta\gamma$. (Explicatio factæ delineationis.) Dico, quòd datæ lineæ rectæ $\alpha\beta$: à dato in ea puncto γ: ad angulos rectos, ducta sit recta linea $\gamma\zeta$. (Demonstratio.) Quoniam recta $\delta\gamma$: est æqualis rectæ $\gamma\epsilon$: communis verò recta $\zeta\gamma$. Duo igitur latera $\delta\gamma$, $\delta\zeta$: duobus lateribus $\epsilon\gamma$, $\gamma\zeta$, sunt æqualia alterum alteri: & basis $\delta\zeta$: æqualis est basi $\epsilon\zeta$. ergo angulus $\delta\gamma\zeta$: æqualis est angulo $\epsilon\gamma\zeta$, (& sunt ἐφέξης, id est, vicini.) Quando verò recta super recta stans: angulos vicinos æquales fecerit inter se: vterq; æqualium angulorum est rectus. Ergo vterq; angulorum $\delta\gamma\zeta$, $\zeta\gamma\epsilon$, est rectus. (Conclusio.) Datæ igitur lineæ rectæ $\alpha\beta$: à dato quod in ea est puncto γ: ad angulos rectos, du-

cta est recta ηγ. Id quod faciendum erat.

Propositio duodecima. Problema.

AD lineam rectam datã infinitam: à dato puncto: quod in ea nõ est: perpendicularem rectam lineam ducere.

(Explicatio dati.) Sit data linea recta infinita αϐ: & punctum quod in ea non est, datũ γ. (Explicatio quæsiti.) A puncto dato γ: ad datam lineam rectam infinitam αβ: ducenda est linea recta perpendicularis. (Delineatio.) Sumatur ex altera parte lineæ αβ, punctum quoduis δ: & centro γ, interuallo γδ: describatur circulus εζη: secans lineam αβ, in punctis ε, & η. Postea dissecetur linea recta εη: in duas partes æquales in puncto θ. & ducantur lineæ rectæ γη, γθ, γε. (Explicatio iam factæ delineationis.) Dico quod ad lineam rectam datam infinitam αβ: à puncto γ dato, quod in ea non est: perpendicularis ducta sit recta linea γθ. (Demonstratio.) Quoniam recta ηθ, æqualis est rectæ θε: & communis recta θγ. ergo duo latera ηθ, θγ: duobus lateribus εθ, θγ,

sunt

sunt æqualia alterum alteri: & basis γη, basi γε est æqualis. quare angulus γθη: angulo εθδ est æqualis: & sunt vicini. Quando verò recta super recta stans angulos vicinos æquales inter se fecerit: vterq; æqualium illorũ angulorum est rectus. & recta super recta stans: perpendicularis ad eam dicitur. (Conclusio.) Ad datam igitur lineam rectam infinitã αβ: à puncto γ dato quod in ea non est: perpendicularis ducta est recta γθ. Id quod faciendum erat.

Propositio decima tertia: Theorema.

VT vt recta super rectã stans, angulos fecerit: vel duos rectos: vel duobus rectis ęquales eos faciet.

Explicatio dati.) Recta quædam αβ, stans super recta γδ, faciat angulos γβα, αβδ. Explicatio quæsiti.) Dico quòd anguli γβα, αβδ: vel sint duo recti: vel duobus rectis æquales. Delineatio cum hypothesi.) Si igitur angulus γβα, æqualis est angulo αβδ: tum sunt duo recti. quòd si verò non: tum ducatur à puncto β, rectæ lineæ γδ: ad angulos rectos, linea recta βε. (Demonstratio.) Anguli igitur γβε,

$\epsilon\beta\delta$: *sunt duo recti. & cùm angulus* $\gamma\beta\epsilon$, *sit æqualis duobus angulis* $\gamma\beta\alpha, \alpha\beta\epsilon$: *communis addatur angulus* $\epsilon\beta\delta$. *quare duo anguli* $\gamma\beta\epsilon, \epsilon\beta\delta$: *tribus angulis* $\gamma\beta\alpha, \alpha\beta\epsilon, \epsilon\beta\delta$: *sunt æquales. Rursus quoniam angulus* $\delta\beta\alpha$ *æqualis est duobus angulis* $\delta\beta\epsilon, \epsilon\beta\alpha$: *communis addatur angulus* $\alpha\beta\gamma$. *anguli igitur* $\delta\beta\alpha, \alpha\beta\gamma$: *tribus angulis* $\delta\beta\epsilon, \epsilon\beta\alpha, \alpha\beta\gamma$, *sunt æquales. Verum demonstratum est, angulos* $\gamma\beta\epsilon, \epsilon\beta\delta$: *tribus ijsdem angulis, esse æquales. Quæ vero eidem sunt æqualia: illa inter se sunt æqualia. ergo anguli* $\gamma\beta\epsilon, \epsilon\beta\delta$: *sunt duobus angulis* $\delta\beta\alpha, \alpha\beta\gamma$, *æquales. sed anguli* $\gamma\beta\epsilon, \epsilon\beta\delta$: *sunt duo recti: ergo* $\delta\beta\alpha, \alpha\beta\gamma$, *anguli: sunt æquales duobus rectis. Conclusio.) Vt ut igitur recta super recta stans: fecerit angulos: vel duos rectos: vel duobus rectis æquales faciet. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio decima quarta. Theorema.

SI ad lineam quandã rectam: & punctum in ea datum: duæ rectę, nõ in easdẽ partes sitæ: angulos (ἐφεξῆς) vicinos, duobus rectis angulis æqua-

les

les fecerint: duæ istę rectæ, ἐπ' εὐθείας, altera alteræ erunt.

Explicatio dati.) Nam ad lineam quandam rectam αβ: & ad punctum in ea datum β: duæ rectæ lineæ ϐγ, βδ: non in easdem partes sitæ: faciant angulos ἐφεξῆς (vicinos) αϐγ, αβδ, æquales duobus rectis. Explicatio quæsiti.) Dico quòd rectæ γϐ, sit ἐπ' εὐθείας recta βδ. Delineatio.) Si enim rectæ ϐγ, non est ἐπ' εὐθείας recta ϐδ: sit recta βε, recta γβ, ἐπ' εὐθείας. Demonstratio.) Quoniam recta αβ: constituta est super recta γϐε. anguli igitur αϐγ, αϐε: sunt æquales duobus rectis. Verum anguli αβγ, αβδ: etiam sunt æquales duobus rectis. anguli igitur γβα, αβε: angulis γϐα, αβδ sunt æquales. Communis auferatur angulus αϐγ. reliquus igitur angulus αβε: reliquo angulo αϐδ, est æqualis, minor maiori. quod fieri nequit. Quare recta βε: nō est ἐπ' εὐθείας, rectæ βγ. Similiter etiam demonstrabimus, quòd nulla alia præter rectam βδ: sit ἐπ' εὐθείας, rectæ γδ. Conclusio.) Ergo recta γβ, est ἐπ' εὐθείας rectæ βδ. Si igitur ad lineam quandā rectam: & punctū in ea *datum: duæ rectæ non in easdem partes sitæ: angulos ἐφεξῆς duobus rectis angulis fecerint æquales: duæ istæ rectæ ἐπ' εὐθείας, erūt altera alteræ. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio decimaquinta. Theorema.

SI duæ lineæ rectæ, sese mutuo secãt: facient angulos ad verticem, inter se ęquales.

Explicatio dati.) Duæ enim lineæ rectæ αβ, γδ: sese mutuo secent in puncto ε. (Explicatio quæsiti.) Dico quòd angulus αεγ, angulo δεβ sit æqualis: & angulus γεβ, angulo αεδ etiam æqualis. (Demonstratio.) Quoniã recta αε, super recta γδ, constituta est: & facit angulos γεα, αεδ. anguli igitur γεα, αεδ: duobus rectis sunt æquales. Item quoniam recta δε: super recta αβ, est constituta, facitq́ angulos αεδ, δεβ. anguli igitur αεδ, δεβ: sunt æquales duobus rectis. Verum anguli γεα, αεδ duobus rectis sunt æquales. quare duo anguli γεα, αεδ: sunt æquales duobus angulis αεδ, δεβ. Communis auferatur angulus αεδ. reliquus igitur angulus γεα: reliquo angulo

βεδ

$\beta\epsilon\delta$ est æqualis. Simili demonstratione, probabimus angulum $\gamma\epsilon\beta$: angulo $\delta\epsilon\alpha$ esse æqualem. Conclusio.) Si igitur duæ rectæ sese mutuò secant: facient angulos ad verticem inter se æquales. Id quod erat demonstrandum.

Corolarium. Ex hoc est manifestum, quòd quæcunque lineæ rectæ sese mutuò secant: faciunt angulos ad punctum sectionis: quatuor rectis æquales.

Propositio decimasexta. Theorema.

OMnis trianguli, vno ex lateribus producto: angulus extraneus, vtroque eorum, qui intra trigulum sunt, quibus ipse opponitur, est maior.

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$: & protrahatur latus eius $\beta\gamma$, ad punctum δ. Explicatio quæsiti.) Dico quòd angulus $\alpha\beta\delta$: est maior angulo $\gamma\beta\alpha$, interno sibi opposito: & maior angulo $\beta\alpha\gamma$, interno sibi opposito. Delineatio.) Dissecetur latus $\alpha\gamma$, in duas partes æquales in punctò ϵ. deinde ducatur linea $\beta\epsilon$: & producatur ad punctū ζ. Fiat etiam lineæ βε, qualis linea εζ: deniq; ducatur linea ζγ: & extendatur recta αγ, ad punctum vsq; η. Demonstratio.) Quoniam recta αε, æqualis est rectæ εγ: & recta βε, æqualis rectæ εζ. duo igitur latera αε, εβ: duobus lateribus γε, εζ sunt æqualia alterum alteri: & angulus αεγ, æqualis est angulo ζεγ. quia sunt anguli ad verticem. Basis igitur αβ: basi ζγ, erit æqualis: & triangulus αβε, æqualis erit triangulo ζεγ: & reliqui anguli, reliquis angulis sunt æquales alter alteri. quos æqualia illa latera subtendunt. itaq; angulus βαε, æqualis est angulo εγζ. Verum angulus εγδ, maior est angulo εγζ: quare angulus αγδ, angulo βαγ etiam est maior. Similiter demonstrabitur, quando recta βγ, dissecta fuerit in duas partes æquales: quod angulus βγη, hoc est, angulus αγδ, maior sit angulo αβγ. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, vno ex lateribus protracto: extraneus angulus, vtroq; eorum, qui intra triangulum sunt, quibus ipse opponitur est maior. Id quod erat demonstrandum.

Propo-

Propositio decima septima, Theorema.

Omnis trianguli: quiuis duo anguli: duobus rectis angulis sunt minores, quouis modo sunt.

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$. Explicatio quaesiti.) Dico quòd trianguli $\alpha\beta\gamma$: duo anguli sunt minores duobus rectis, quouis modo sumpti. Delineatio.) Producatur linea $\beta\gamma$, ad punctum δ. Demonstratio.) Quoniam trianguli $\alpha\beta\gamma$, angulus extraneus $\alpha\gamma\beta$: maior est angulo $\alpha\beta\gamma$, interno sibi opposito. Communis addatur angulus $\alpha\gamma\beta$. anguli igitur $\alpha\gamma\delta$, $\alpha\gamma\beta$: sunt maiores angulis $\alpha\beta\gamma$, $\beta\gamma\alpha$. Verum anguli $\alpha\gamma\delta$, $\alpha\gamma\beta$: sunt duo recti. ergo anguli $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\beta\alpha$, sunt minores duobus rectis. Simili ratione demonstrabimus angulos $\beta\alpha\gamma$, $\alpha\gamma\beta$: duobus rectis esse minores. Item & angulos $\alpha\gamma\beta$, $\alpha\beta\gamma$: duobus rectis esse minores. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, quiuis duo anguli: minores sunt duobus angulis rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propo-

Propositio decimaoctaua. Theorema.

VT quoduis latus trianguli est maius: ita maiorē subtendit angulū.

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$: habens latus $\alpha\gamma$, maius latere $\alpha\beta$. Explicatio quæsiti.) Dico quòd angulus $\alpha\beta\gamma$: maior sit angulo $\alpha\gamma\beta$. Delineatio.) Cum enim latus $\alpha\gamma$, sit maius latere $\alpha\beta$: fiat linea $\alpha\beta$, æqualis recta $\alpha\delta$: & ducatur recta $\beta\delta$. Demonstratio.) Quoniam trianguli $\beta\delta\gamma$, angulus $\alpha\delta\beta$ externus: maior est angulo $\delta\gamma\beta$, interno sibi opposito: & angulus $\alpha\delta\beta$, sit æqualis angulo $\alpha\beta\delta$: cum latus $\alpha\beta$, lateri $\alpha\delta$ sit æquale. idcirco angulus $\alpha\beta\delta$: maior est angulo $\alpha\gamma\beta$. Ergo angulus $\alpha\beta\gamma$, multo est maior angulo $\alpha\gamma\beta$. Conclusio.) Vt quoduis igitur latus trianguli est maius: ita maiorem subtendit angulum. id quod erat demonstrandum.

Propositio decima nona. Theorema.

VT triangulus aliquis, angulum quemuis habuerit maiorem: ita etiam maiorem habebit eam lineā rectam, quę illum subtendit angulum.

Expli-

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$: habens angulũ $\alpha\beta\gamma$, maiorem angulo $\alpha\gamma\beta$. Explicatio quæsiti.) Dico quod trianguli $\alpha\beta\gamma$: latus $\alpha\gamma$, maius sit latere $\alpha\beta$. Demonstratio.) Si enim non fuerit maius: tum vel erit ei æquale: vel erit eo minor. sed recta $\alpha\gamma$, non est æqualis rectæ $\alpha\beta$. nam & angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\alpha\gamma\beta$ esset æqualis. id quod tamen non est. quare neq; latus $\alpha\gamma$. lateri $\alpha\beta$, erit æquale: neque etiam latus $\alpha\gamma$, poterit esse minus latere $\alpha\beta$. quia etiam angulus $\alpha\beta\gamma$, minor esset angulo $\alpha\gamma\beta$: cum tamen non sit. Quare neq; latus $\alpha\gamma$, minus est latere $\alpha\beta$. antea autem demonstratum est. quod ei non sit æquale. Erit ergo $\alpha\gamma$ latus, maius latere $\alpha\beta$. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, maiorẽ angulum maius latus subtendit. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima. Theorema.

OMnis trianguli: quæuis duo latera, sunt maiora reliquo.

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod trianguli $\alpha\beta\gamma$: quæuis duo latera, sint maiora reliquo.

quo. latera $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$, maiora latere $\beta\gamma$: Item latera $\alpha\beta$. $\beta\gamma$, maiora latere $\alpha\gamma$: deniq; latera $\beta\gamma$, $\gamma\alpha$, maiora latere $\alpha\beta$. Delineatio.) Producatur linea $\beta\alpha$, ad punctum δ: & fiat lineæ $\alpha\gamma$, æqualis linea $\alpha\delta$: deniq; ducatur linea $\gamma\delta$. Demonstratio.) Quoniam latus $\delta\alpha$, æquale est lateri $\alpha\gamma$: etiam angulus $\alpha\delta\gamma$, est æqualis angulo $\alpha\gamma\delta$. Verum angulus $\alpha\gamma\delta$, maior est angulo $\alpha\delta\gamma$. quare & angulus $\beta\gamma\delta$, angulo $\alpha\delta\gamma$, maior erit. & quia triangulus $\delta\gamma\beta$, angulum $\beta\gamma\delta$ maiorem habet angulo $\alpha\gamma\delta$: atq; maius latus subtendit angulum maiorē: idcirco & latus $\delta\beta$, maius est latere $\beta\gamma$. Sed $\delta\beta$ latus, æquale est $\alpha\beta$, $\alpha\gamma$ lateribus. quare $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$, duo latera: sunt maiora latere $\beta\gamma$. Similiter demonstrabimus, quòd latera $\alpha\beta$, $\beta\gamma$, sint maiora latere $\alpha\gamma$: & $\beta\gamma$, $\gamma\alpha$ latera sint maiora latere $\alpha\beta$. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, quæuis duo latera: sunt maiora reliquo. id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima prima. Theorema.

SI à finibus vnius lateris trianguli cuiusuis, duæ rectæ lineæ intra triangulum ad punctũ idẽ statuantur: erunt quidẽ istæ duæ rectę lineæ, reliquis duobus trianguli lateribus minores: verùm maiorem angulum comprehendent.

Explicatio dati.) Super latere enim βγ trianguli αβγ: à finibus β, & γ, duæ lineæ recta βδ, δγ. statuantur intra triangulum. Explicatio quæsiti.) Dico quod duæ recta βδ, δγ: minores quidẽ sint reliquis duobus trianguli lateribus βα, αγ: verum angulum βδγ, maiorem angulo βαγ, contineant. Delineatio.) Producatur enim linea βδ: ad punctum vsq; ε. Demonstratio.) Quoniam omnis trianguli duo latera maiora sunt reliquo: idcirco trianguli αβε, duo latera αβ, αε sunt maiora latere βε. Commune addatur latus εγ. latera igitur βα, αγ, maiora sunt lateribus βε, εγ. Item quia trianguli γεδ, duo latera γε, εδ maiora sunt latere γδ. Cõmune addatur latus δβ. quare latera γε, εβ: maiora sunt lateribus γδ, δβ. Verum latera βα, αγ: demõstrata sunt maiora lateribus βε, εγ. ergo βα, αγ latera, lõge erũt maiora lateribus βδ, δγ. Rursus quoniã omnis triãguli angulus extraneus,

angulo

angulo intra triangulum sibi opposito est maior: idcirco trianguli $\gamma\delta\epsilon$, angulus $\beta\delta\gamma$ extraneus, angulo $\gamma\epsilon\delta$ interno sibi opposito est maior. Per eadem demonstrrabitur, quòd trianguli $\alpha\beta\epsilon$, angulus $\gamma\epsilon\beta$: maior sit angulo $\beta\alpha\gamma$. verum angulo $\gamma\epsilon\beta$, maior est demonstratus angulus $\beta\delta\gamma$. Ergo angulus $\beta\delta\gamma$: multò est maior angulo $\beta\alpha\gamma$. (Conclusio.) Si igitur à finibus vnius lateris trianguli cuiusuis, duæ rectæ lineæ intra triangulum, ad puncta eadē statuantur: erūt quidem istæ duæ rectæ lineæ, reliquis duobus trianguli lateribus minores: verum maiorem angulū comprehendent. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima secunda. Problema.

EX tribus lineis rectis: quæ sunt æquales tribus rectis lineis datis: triangulum constituere. Oportet verô quasuis duas reliqua esse maiores: propterea quod in omni triangulo quæuis duo latera, maiora sint reliquo.

Explicatio dati,) Sint tres lineæ rectæ datæ α, β, γ: & sint quæuis duæ maiores quàm

reli-

reliqua: scilicet α & β maiores quàm γ: & α, atq; γ, maiores quàm β: deniq; β, & γ, maiores quàm α. Explicatio quæsiti.) Oportet igitur ex tribus lineis rectis: quæ datis tribus, α, β, γ, sunt æquales: triangulum componere. Delineatio.) Sumatur recta aliqua linea $\delta\epsilon$: finita quidem ad punctum δ: infinita verò ad punctum ϵ. deinde fiat lineæ rectæ α: æqualis linea recta $\delta\zeta$. Item rectæ β: æqualis recta $\zeta\eta$. præterea rectæ γ: æqualis recta $\eta\theta$. Ad hæc centro ζ, interuallo $\zeta\delta$: describatur circulus $\delta\kappa\lambda$. centro etiam η, interuallo $\eta\theta$: describatur circulus $\kappa\lambda\eta$: secans circulum $\delta\eta\lambda$, in puncto κ. Denique ducantur lineæ rectæ $\zeta\kappa$, $\kappa\eta$. Delineationis factæ explicatio.) Dico quòd ex lineis rectis tribus, quæ sunt æquales tribus rectis datis: compositus sit triangulus $\kappa\zeta\eta$. Demonstratio.) Quoniam punctũ ζ, centrum est circuli $\delta\kappa\lambda$. idcirco recta $\zeta\delta$, æqualis est rectæ $\zeta\kappa$: verùm recta $\zeta\delta$, est æqualis rectæ α: itaq; & $\kappa\zeta$ recta, æqualis est rectæ α. Item quoniã punctum η, est centrum circuli $\kappa\lambda\eta$: idcirco recta $\eta\theta$, est æqualis rectæ $\eta\kappa$. verùm $\eta\theta$ æqualis est γ rectæ. ergo & $\eta\kappa$ recta, æqualis est re-

ctæ γ. Verùm ζη, etiam est æqualis rectæ β. Tres igitur rectæ κζ, ζη. ηκ: tribus rectis α, β, γ, sunt æquales. Conclusio.) Ex tribus igitur rectis κζ, ζη, ηκ, quæ sunt æquales tribus datis γ, β, γ, rectis: triangulus est factus κζη. Quod faciendum erat.

Propositio vigesima tertia. Problema.

AD datam lineam rectam: & datū in ea punctum: dato angulo rectilineo: æqualem angulum rectilineum statuere.

Explicatio dati.) Sit data linea recta αβ: sit datum in ea punctum α: sit angulus rectilineus datus δγε. Explicatio quæsiti.) Ad lineam rectam datam αβ: & punctum in ea datum α: statuendus est angulus rectilineus: æqualis angulo δγε rectilineo dato. Delineatio.) Sumantur in lineis rectis γδ, γε, puncta quæuis δ, ε. Ducatur etiā linea recta δε. Postea ex talibus lineis rectis quæ sunt æquales tribus rectis γδ, δε, γε. componatur triangulus αζη: sit vt lineæ γδ, sit æqualis linea αζ: & lineæ γε, linea αη. item lineæ δε, æqualis linea ζη.

ζη. Demonstratio.) Quoniam duo latera δγ, γε, duobus lateribus ζα, αη, sunt æqualia alterum alteri: & basis δε, æqualis sit basi ζη. Erit igitur angulus δγε: æqualis angulo ζαη. Conclusio.) Ad datam igitur lineam rectam αβ: & ad punctum in ea datum α: dato angulo rectilineo δγε: cõstitutus est angulus rectilineus ζαη. Id quod erat faciendum.

Propositio vigesima quarta. Theorema.

SI fuerint trianguli vnius, duo latera ęqualia duobus lateribus alterius trianguli, alterũ alteri: sed angulus vnius maior angulo alterius, quẽ æquales rectæ lineæ comprehendunt: etiam basis basi maior erit.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli αβγ, δεζ: quorum duo latera αβ, αγ, duobus lateribus δε, δζ sint æqualia, alterum alteri: latus αβ, lateri δε: & latus αγ, lateri δζ: sed angulus βαγ sit maior angulo εδζ. Explicatio quæsiti.) Dico quod basis βγ, basi εζ sit maior. Delineatio.) Quoniã angulus βαγ maior est angulo εδζ: statuatur ad lineam rectã εδ:

& ad punctum in ea δ: angulus εδη, æqualis angulo βαγ: & fiat alterutræ linearum αγ, δζ: æqualis linea recta δη. & ducantur lineæ rectæ ηε, ζη. Demonstratio.) Quoniam latus αβ, æquale est lateri δε: & latus αγ: æquale est lateri δη: duo igitur latera βα, αγ, duobus lateribus εδ, δη sunt æqualia, alterum alteri: & angulus βαγ, æqualis est angulo εδη. Ergo basis βγ, basi εη est æqualis. Item quoniam latus δη, est æquale lateri δζ: erit etiam angulus δζη, æqualis angulo δηζ. ergo angulus δζη maior est angulo εηζ. quare angulus εζη, longè maior est angulo εηζ. Cum etiam triangulus εζη, habeat angulum εζη, maiorem angulo εηζ: ac maiorem angulum maius latus subtendat, idcirco latus εη, maius est latere εζ. verùm latus εη, æquale est lateri βγ. ergo & βγ latus, maius est latere εζ. Conclusio.) Si ergo duo fuerint trianguli, habentes duo latera, duobus lateribus æqualia, alterum alteri: angulum verò angulo maiorem, qui æqualibus illis lateribus continetur: etiam basin basi maiorem habebunt. Id quod erat demonstrandũ.

Propo-

Propositio vigesima quinta. Theorema.

SI trianguli vnius, duo latera fuerint equalia duobus lateribus trianguli aterius; sed basis vnius fuerit maior basi alterius: erit etiam angulus vnius maior angulo alterius, quem æquales illæ rectę lineæ comprehendũt.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli αβγ, γεζ: quorum duo latera αβ, αγ, sint æqualia duobus lateribus δε, δζ, alterum alteri; latus αβ, æquale lateri δε: & latus αγ, æquale lateri δζ: sed basis βγ, sit maior basi εζ. Explicatio quæsiti.) Dico quod angulus βαγ, maior sit angulo εδζ. Demonstratio.) Quod si enim non fuerit maior: aut erit ei æqualis: aut eo minor. sed angulus βαγ, non est æqualis angulo εδζ, nam & basis βγ, etiam esset æqualis basi εζ. Verùm non est ei æqualis. quare nec angulus βαγ, est æqualis angulo εδζ: sic etiã non est eo minor: siquidem & basis βγ, basi εζ minor esset: quod tamen non est. quare nec angulus βαγ, angulo εδζ minor est. demonstratum verò antea fuit. quòd ei non sit æqualis. Erit igitur angulus βαγ, angulo εδζ maior.

Conclusio.) Si ergo fuerint trianguli vnius duo latera æqualia duobus lateribus trianguli alterius, alterum alteri: sed basis vnius maior basi alterius: erit etiã angulus vnius, maior angulo alterius, quem æquales rectæ lineæ comprehendunt. Id quod erat demonstrandũ.

Propositio vigesima sexta. Theorema.

QVorum triangulorum duo anguli vnius, fuerint æquales duobus angulis alterius: alter alteri & latus vnum, æquale vni: siue illud appositum sit æqualibus illis angulis: siue subtendat, vnum ex æqualibus illis angulis: illorum tum reliqua latera inter se erunt æqualia, alterum alteri: tum etiam reliquus angulus reliquo angulo erit æqualis.

Prima explicatio dati.) Sint duo triangula αβγ, δεζ, quorum duo anguli αβγ, βγα sint æquales duobus angulis δεζ, εζδ, alter alteri: angulus αβγ, æqualis angulo δζε: & angulus βγα, angulo εζδ: habeant etiam vnum latus vni lateri æquale, & primo loco, latus quod positũ est ad æquales illos angulos, latus

-tus $\beta\gamma$, lateri $\epsilon\zeta$. Prima explicatio quæsiti.) Dico quod & reliqua latera reliquis lateribus habebunt æqualia, alterũ alteri: latus $\alpha\beta$, lateri $\delta\epsilon$: et latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\delta\zeta$: et reliquũ angulũ reliquo angulo æqualẽ, nempe angulũ $\beta\alpha\gamma$, æquale angulo $\epsilon\delta\zeta$. Prima delineatio.) Si enim $\alpha\beta$, latus, inæquale fuerit lateri $\delta\epsilon$: vnum ex istis sit maius. sit igitur latus $\alpha\beta$, maius. & fiat recta $\delta\epsilon$, æqualis recta $\beta\eta$: & ducatur recta $\eta\gamma$. Prima demonstratio.) Cum itaq; latus $\beta\eta$, sit æquale lateri $\delta\epsilon$, & latus $\beta\gamma$ æquale lateri $\epsilon\zeta$. duo igitur latera $\beta\eta$, $\beta\gamma$: duobus lateribus $\delta\epsilon$, $\epsilon\zeta$, sunt æqualia alterum alteri: & angulus $\eta\beta\gamma$, angulo $\delta\epsilon\zeta$ æqualis: ergo basis $\eta\gamma$, basi $\delta\zeta$ est æqualis, & triangulus $\eta\gamma\beta$, triangulo $\delta\epsilon\zeta$ est æqualis, & reliqui anguli, reliquis angulis sunt æquales, alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt angulus $\eta\gamma\beta$, æqualis angulo $\delta\zeta\epsilon$, sed angulus $\delta\zeta\epsilon$, proponitur æqualis angulo $\beta\gamma\alpha$. erit igitur angulus $\beta\gamma\eta$, etiam æqualis angulo $\beta\gamma\alpha$, minor maiori, quod fieri nequit. Conclusio prima.) Ergo latus $\alpha\beta$, nõ est inæquale lateri $\delta\epsilon$, ergo erit ei æquale, verum latus $\beta\gamma$

etiam est æquale lateri $\epsilon\zeta$: duo igitur latera $\alpha\beta$, $\beta\delta$: duobus lateribus $\delta\epsilon$, $\epsilon\zeta$ sunt æqualia alterum alteri: & angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\delta\epsilon\zeta$ æqualis. basis itaq; $\alpha\gamma$, basi $\delta\zeta$ erit æqualis, & reliquus angulus $\beta\alpha\gamma$, reliquo angulo $\epsilon\delta\zeta$ æqualis. Secunda explicatio dati.) Verum iterum statuantur latera æquales angulos subtendentia æqualia, ut $\alpha\beta$ latus, æquale lateri $\delta\epsilon$. Secunda explicatio quæsiti.) Dico quod etiam reliqua latera, reliquis lateribus sint æqualia, latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\delta\zeta$: & latus $\beta\gamma$, æquale lateri $\epsilon\zeta$: deniq; reliquus angulus $\beta\alpha\gamma$, reliquo angulo $\epsilon\delta\zeta$ æqualis. Secunda delineatio.) Si enim latus $\beta\gamma$, non fuerit æquale lateri $\epsilon\zeta$: sed alterum ex eis fuerit maius. sit latus $\beta\gamma$, si poterit fieri, maius latere $\epsilon\zeta$: & fiat lateri $\epsilon\zeta$, æquale latus $\beta\theta$: & ducatur recta $\alpha\theta$. Secunda demonstratio.) Quoniam latus $\beta\theta$, æquale est lateri $\epsilon\zeta$, & latus $\alpha\beta$, æquale lateri $\delta\epsilon$: duo itaq; latera $\alpha\beta$, $\beta\theta$: duobus lateribus $\delta\epsilon$, $\delta\zeta$, sunt æqualia alterum alteri: & angulos comprehendunt æquales: basis igitur $\alpha\theta$, est æqualis basi $\delta\zeta$: & triangulus $\alpha\beta\theta$, triangulo $\delta\epsilon\zeta$ est æqualis: & reliqui anguli, reliquis

quis angulis sunt æquales alter alteri; quos æqualia illa latera subtendũt: angulus ζδα, æqualis angulo εζδ. Verùm angulus εζδ, est æqualis angulo βγα. ergo angulus βθα, est æqualis angulo βγα. Trianguli igitur αθγ, angulus βθα externus: angulo βγα interno sibi opposito [illegible]æqualis. quod fieri nequit. Quare latus [illegible] non est inæquale lateri εζ. erit igitur ei æquale. sed & αβ latus, est æquale lateri δε: duo igitur latera αβ, βγ: sunt æqualia duobus lateribus δε, εζ alterum alteri: & angulos comprehendunt æquales. basis igitur αγ, basi δζ est æqualis: & triangulus αβγ, est æqualis triangulo δεζ: & reliquus angulus βαγ, reliquo angulo εδζ est æqualis. Conclusio.) Quorum ergo triangulorum duo anguli vnius, fuerint æquales duobus angulis alterius, alter alteri: & latus vnum vni lateri æquale: siue illud appositum sit æqualibus illis angulis: siue subtẽdat vnum ex æqualibus illis angulis. illorũ tum reliqua latera inter se erunt æqualia, alterum alteri: tum etiam reliquus angulus, reliquo angulo erit æqualis. Id quod erat demonstrandum.

PARS ALTERA HVIUS PRIMI ELEMENTI.

Propositio vigesima septima. Theorema.

SI in duas lineas rectas, recta incidens linea, angulos alternos æquales inter se fecerit: æquedistantes inter se erunt rectæ illæ duæ lineæ.

Explicatio dati.) In lineas duas rectas αβ, γδ: incidens linea recta εζ: angulos alternos αεζ, εζδ: æquales inter se faciat. Explicatio quæsiti.) Dico quòd recta αβ, rectæ γδ, æquedistet. Hypothesis.) Si enim non æquedistant: cum protractæ lineæ rectæ αβ, γδ: concurrũt, vel ex partibus β & δ: vel ex partibus α, & γ. Delineatio.) Protrahantur & concurrant ex partibus β, & δ in puncto η. Demonstratio.) Trianguli igitur ηεζ, angulus αεζ externus, angulo εζη interno opposito est maior: verum etiã est ei æqualis. quod fieri non potest. quare rectæ αβ, γδ, si protrahantur: non concurrent ex partibus β, & δ, similiter demonstrabitur: quod neq; ex partibus α, & γ, concurrant.

currant.

currant. recta verò, quæ ex neutra parte concurrunt, si protrahantur: sunt inter se æquedistantes. quare recta $\alpha\beta$, æquedistat recta $\gamma\delta$. Conclusio.) Si igitur in duas lineas rectas, recta incidat linea: ac faciat angulos alternos inter se æquales: rectæ istæ lineæ inter se sunt æquedistantes. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima octaua. Theorema.

SI linea recta, in duas rectas incidens lineas: extraneum angulum, interno cui opponitur ex eadem parte fecerit equalem: vel si duos internos, ex eadem parte; fecerit æquales duobus angulis rectis; æquedistãtes inter se erũt, duæ illæ lineæ rectæ.

Explicatio dati.) In lineas duas rectas $\alpha\beta$, incidat linea recta $\epsilon\zeta$: angulum extraneum $\epsilon\eta\beta$, interno opposito ex eadẽ parte angulo $\eta\zeta\delta$: faciat æqualem: & faciat duos angulos internos, ex eadem parte $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$: æquales duobus angulis rectis. (Explicatio quæsiti.) Dico quod recta $\alpha\beta$, æquedistet rectæ $\gamma\delta$. Demonstratio.) Cum enim angulus $\epsilon\eta\beta$, sit æ-

qualis

qualis angulo $\alpha\eta\theta$: idcirco angulus $\alpha\eta\theta$, etiam est aequalis angulo $\eta\theta\delta$. & sunt anguli alterni: quare recta $\alpha\beta$, rectae $\gamma\delta$, est aequedistans. Rursus, quoniam anguli $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$, duobus rectis sunt aequales: & duo anguli $\alpha\eta\theta$, $\beta\eta\theta$, etiā duobus rectis aequales: idcirco anguli $\alpha\eta\theta$, $\beta\eta\theta$ sunt duobus angulis $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$ aequales. communis auferatur angulus $\beta\eta\theta$. reliquus igitur angulus $\alpha\eta\theta$: reliquo angulo $\eta\theta\delta$, est aequalis, & sunt anguli alterni. ergo recta $\alpha\beta$, aequedistat rectae $\gamma\delta$. Cōclusio.) Si igitur linea recta, in duas rectas incidens lineas; extraneum angulum interno cui opponitur, ex eadem parte fecerit aequalem: vel si duos angulos internos, ex eadem parte, fecerit aequales duobus angulis rectis: aequedistantes inter se erunt, duae illae lineae rectae. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima nona. Theorema.

Linea recta, in duas rectas aequedistantes lineas incidens: facit angulos alternos inter se aequales: & angulum externum, interno opposito ex eadem parte facit aequalem; item duos

angu-

angulos internos, ex eadem parte: faciet æquales duobus rectis.

Explicatio dati.) Sint duæ lineæ rectæ æquedistantes $\alpha\beta$, $\gamma\delta$: & in eas incidat linea recta $\epsilon\zeta$. Explicatio quæsiti.) Dico quod faciat angulos $\alpha\eta\theta$, $\eta\theta\delta$: qui sunt alterni, inter ser se æquales: & angulum externum $\epsilon\eta\beta$, angulo interno opposito ex eadem parte $\eta\theta\delta$, æqualem: & angulos internos ex eadem parte positos $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$: duobus rectis æquales. Demonstratio cum hypothesi.) Si enim angulus $\alpha\eta\theta$, non est æqualis angulo $\eta\theta\delta$: alter illorum erit maior. sit angulus $\alpha\eta\theta$ maior. Quoniam angulus $\alpha\eta\theta$, maior est angulo $\eta\theta\delta$: communis addatur angulus $\beta\eta\theta$. ergo anguli $\alpha\eta\theta$, $\beta\eta\theta$, sunt maiores angulis $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$. Verum anguli $\alpha\eta\theta$, $\beta\eta\theta$: duobus rectis sunt æquales. ergo anguli $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$: duobus rectis sunt minores: lineæ verò rectæ, à duobus angulis, qui sunt minores duobus angulis rectis: in infinitum vsq; ductæ: concurrunt. quare rectæ $\alpha\beta$, $\gamma\delta$ in infinitum productæ concurrent. sed quia æquedistantes proponuntur esse: nō concurrūt: idcirco angulus $\alpha\eta\theta$, non est inæqualis angulo

$\eta\theta\delta$.

$\eta\theta\delta$, erit igitur ei æqualis. Verũ angulus $\alpha\eta\theta$ angulo $\epsilon\eta\zeta$ est æqualis: ideo etiã angulus $\epsilon\eta\beta$ est æqualis angulo $\eta\theta\delta$. cõmunis addatur angulus $\zeta\eta\theta$, ergo anguli $\epsilon\eta\beta$, $\beta\eta\theta$: angulis $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$ sunt æquales. verùm anguli $\epsilon\eta\beta$, $\beta\eta\theta$: duobus rectis sunt æquales. idcirco & anguli $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$: duobus rectis æquales erunt. Conclusio.) Linea igitur recta, in duas æquedistantes lineas rectas incidens: facit alternos angulos, inter se æquales: & angulum externum, interno opposito ex eadem parte facit æqualem: item duos angulos internos, ex eadem parte, facit æquales duobus rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima. Theorema.

QVæ eidem lineæ rectæ æquedistant: illæ etiam inter se æquedistant.

Explicatio dati.) Sit linea recta $\epsilon\zeta$, cui æquedistẽt rectæ lineæ $\alpha\beta$, $\gamma\delta$. Explicatio quæsiti.) Dico quòd recta $\alpha\zeta$, etiam æquedistet rectæ $\gamma\delta$. Delineatio.) Incidat in predictas lineas: recta quædam linea $\eta\kappa$. Demonstratio.)

Quoniam

Quoniam in duas aequedistantes rectas αβ, εζ incidit recta ηθ: idcirco angulus αηθ: est aequalis angulo ηθζ. Praeterea quoniam in duas rectas aequedistantes εζ, γδ recta incidit ηκ: angulus ηθζ, erit aequalis angulo ηκδ, demonstratum verò est, quòd angulus αηκ: angulo ηθζ sit aequalis: quare & angulus αηκ: angulo ηκδ est aequalis, & sunt anguli alterni. Quare recta αβ, aequedistat rectae γδ. Conclusio.) Quae igitur rectae eidem lineae rectae aequedistant: illae etiam inter se aequedistant. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima prima. Problema.

A Puncto dato: datae lineae rectae: rectam lineam aequedistantem ducere.

Explicatio dati.) Sit datum punctum α: & data linea recta βγ. Explicatio quaesiti.) A dato puncto α: ducenda est linea recta, aequedistans lineae rectae datae, βγ. Delineatio.) Sumatur in linea recta βγ: punctum quodam δ: & ducatur linea recta αδ: ad lineam rectam αδ: & punctum in ea α: angulo rectilineo αδγ aequa-

æqualis statuatur angulus rectilineus δαε: & ducatur linea αζ, ἐπ' ἐυθείας, lineæ εα. Demonstratio.) Quoniam in duas lineas rectas βγ, εζ: incidens linea recta αδ: angulos alternos εαδ, αδγ, æquales inter se fecit. idcirco recta εζ, æquedistat rectæ βγ. (Conclusio.) A puncto igitur dato α: datæ lineæ rectæ βγ: ducta est linea recta εαζ æquedistans. Id quod faciendum erat.

Propositio trigesima secunda.
Theorema.

OMnis trianguli, vno è lateribus protracto: exterior angulus, duobus angulis interioribus quibus opponitur, est ęqualis: & trianguli tres interiores anguli: duobus rectis sunt æquales.

Explicatio dati.) Sit triangulus αβγ: & protrahatur latus eius βγ, ad punctum δ. Explicatio quæsiti.) Dico quod angulus αγδ: est æqualis duobus angulis γαβ, αβγ, interioribus quibus opponitur: & quod anguli tres interiores αβγ, βγα, γαβ: sint æquales duobus

anguli

angulis rectis. Delineatio.) Ducatur à puncto γ: lineæ rectæ $\alpha\beta$: æquedistans linea recta $\gamma\epsilon$. Demonstratio.) Quoniam recta $\alpha\beta$, æquedistat rectæ $\gamma\epsilon$: & in eas incidit recta $\alpha\gamma$. Idcirco alterni anguli $\beta\alpha\gamma$, $\alpha\gamma\epsilon$: sunt inter se æquales. Item cum recta $\alpha\beta$, æquedistet rectæ $\gamma\epsilon$: & in eas incidit recta $\beta\delta$: angulus $\epsilon\gamma\delta$ externus, est æqualis angulo $\alpha\beta\gamma$ interno opposito. sed demonstratum est angulum $\alpha\epsilon\gamma$: angulis $\beta\alpha\gamma$ $\alpha\beta\gamma$ esse æqualem. totus igitur angulus $\alpha\gamma\delta$ externus, duobus angulis internis oppositis $\beta\alpha\gamma$, $\alpha\beta\gamma$ est æqualis. Cõmunis addatur angulus $\alpha\gamma\beta$. anguli igitur $\alpha\gamma\delta$, $\alpha\gamma\beta$: tribus angulis $\alpha\beta\gamma$, $\beta\gamma\alpha$, $\gamma\alpha\beta$ sunt æquales. sed duo anguli $\alpha\gamma\delta$, $\alpha\gamma\beta$ sunt duobus rectis æquales. quare tres anguli $\alpha\gamma\beta$, $\gamma\beta\alpha$, $\gamma\alpha\beta$, duobus rectis erunt æquales. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, vno è lateribus protracto: exterior angulus, duobus angulis interioribus, quibus opponitur, est æqualis: & trianguli, tres interiores anguli: duobus rectis sunt æquales. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima tertia. Theorema.

Lineæ rectæ, quæ æquales, & æque distantes inter se lineas rectas ex eadem parte coniungunt: etiam ipsæ æquales, & æquedistantes inter se sunt.

Explicatio dati.) Sint lineæ rectæ αβ, γδ, æquales, & æquedistantes: easq; ex eadem parta coniungant duæ rectæ, αγ. βδ. Explicatio quæsiti.) Dico quod recta αγ, βδ, æquales, & æquedistantes sint. Delineatio.) Ducatur linea recta βγ. Demonstratio.) Quoniam recta αβ, æquedistat rectæ γδ: & in eas incidit recta βγ: idcirco anguli αβγ, βγδ alterni: sunt inter se æquales. Et cum recta αβ: sit æqualis rectæ γδ: communis verò βγ: duo igitur latera αβ, βγ, duobus lateribus βγ, γδ sunt æqualia: & angulus αβγ, angulo βγδ est æqualis. basis igitur αγ, basi βδ est æqualis: & triangulus αβγ, triangulo βγδ est æqualis: & reliqui anguli, reliquis angulis sunt æquales alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt. angulus igitur αγβ, angulo γβδ est æqualis, & angulus βαγ, angulo γδβ. & quoniam

niam in duas rectas $\alpha\gamma$, $\beta\delta$, recta incidēs $\beta\gamma$: angulos alternos $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\beta\delta$, aequales inter se fecit. idcirco recta $\alpha\gamma$, aequedistat rectae $\beta\delta$. Verum demonstrata fuit ei esse aequalis. Conclusio.) Lineae igitur rectae, quae aequales, & aequedistantes inter se lineas rectas, ex eadem parte coniungunt: etiam ipsae aequales, & aequedistantes inter se sunt. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima quarta. Theorema.

AReæ, quę ęquedistantibus lineis rectis continentur: habent latera opposita, & angulos oppositos inter se æquales; & dimetiens ipsas medias secat.

Explicatio dati.) Sit figura aequedistantibus lineis rectis contenta $\alpha\gamma\delta\beta$: dimetiens eius linea $\beta\gamma$. Explicatio quaesiti.) Dico quod areae $\alpha\beta\gamma\delta$, latus $\alpha\beta$: sit aequale lateri $\gamma\delta$: item latus $\alpha\gamma$, aequale lateri $\beta\delta$. Praeterea dimetiens $\beta\gamma$, ipsam figuram secet in duas partes aequales. Demonstratio.) Quoniam recta $\alpha\beta$, aequedistat rectae $\gamma\delta$: & in eas inci-

dit recta $\beta\gamma$: anguli alterni $\alpha\beta\gamma$, $\beta\gamma\delta$ sunt inter se æquales. Item quoniam recta $\alpha\gamma$, æquedistat rectæ $\beta\delta$: & in eas incidit recta $\beta\gamma$: anguli igitur alterni inter se sunt æquales. Quare cum duo trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\beta\delta$: duos angulos $\alpha\beta\gamma$, $\beta\gamma\alpha$, habeāt duobus angulis $\gamma\beta\delta$ $\beta\gamma\delta$, æquales, alterum alteri: & vnum latus, vni lateri æquale: nempe latus $\beta\gamma$, commune: quod ad angulos æquales est positum. idcirco & reliqua latera, reliquis lateribus habent æqualia, alterum alteri: & reliquum angulum reliquo angulo æqualem. latus $\alpha\beta$, æquale lateri $\gamma\delta$: & latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\beta\delta$: & angulum $\beta\alpha\gamma$, angulo $\beta\delta\gamma$, æqualem. Quia verò angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\beta\gamma\delta$ est æqualis: & angulus $\gamma\beta\delta$, angulo $\alpha\gamma\beta$ etiam æqualis. Totus igitur angulus $\alpha\beta\delta$, toti angulo $\alpha\gamma\delta$ est æqualis. Verùm & angulus $\beta\alpha\gamma$, demonstratus est æqualis angulo $\beta\delta\gamma$. Cōclusio.) Areæ igitur, quæ æquedistantibus lineis rectis continentur: habent latera opposita æqualia, & angulos oppositos inter se æquales. Secūda explicatio quæsiti.) Dico quod diameter secet eas in duas partes æquales. Demonstratio secunda.)

Quoni-

Quoniam latus $\alpha\beta$ est æquale lateri $\gamma\delta$: & latus $\beta\gamma$ cōmune. duo igitur latera $\alpha\beta$, $\beta\gamma$: duobus lateribus $\gamma\delta$, $\beta\gamma$ sunt æqualia alterū alteri: & angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\beta\gamma\delta$ est æqualis. ergo basis $\alpha\gamma$, basi $\delta\beta$ est æqualis: & triangulus $\alpha\beta\gamma$, triangulo $\beta\gamma\delta$ etiam æqualis. (Conclusio.) Ergo diameter $\beta\gamma$, figuram $\alpha\beta\gamma\delta$: secat in duas partes æquales. Id quod demonstrandum erat.

TERTIA HVIVS ELEmenti pars.

Propositio trigesima quinta. Theorema.

QVæ parallelogramma, eandem habent basin: & in eisdem æque distantibus sunt lineis rectis: illa sunt æqualia inter se.

Explicatio dati.) Sint parallelogramma $\alpha\beta\gamma\delta$, $\epsilon\beta\gamma\zeta$: in eadem basi $\beta\gamma$: & eisdem lineis rectis æquedistantibus $\alpha\zeta$, $\beta\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$: sit æquale parallelogrammo $\epsilon\beta\gamma\zeta$. De monstratio.) Quoniam $\alpha\beta\gamma\delta$ figura: est parallelogrammon. idcirco latus $\beta\gamma$, est aequale lateri $\alpha\delta$. Per eadem demonstrabitur quoque latus $\epsilon\zeta$: aequale lateri $\beta\gamma$. quare & latus $\alpha\delta$, est aequale lateri $\epsilon\zeta$. communis verò est recta $\delta\epsilon$. totum igitur latus $\alpha\epsilon$: toti lateri $\delta\zeta$ est aequale. Verum latus $\alpha\beta$: est etiam aequale lateri $\delta\gamma$. duo itaque latera $\epsilon\alpha$, $\alpha\beta$: duobus lateribus $\zeta\delta$, $\delta\gamma$ sunt aequalia alterum alteri: & angulus $\zeta\delta\gamma$, aequalis angulo $\epsilon\alpha\beta$, externus interno. basis igitur $\epsilon\beta$, basi $\zeta\gamma$ est aequalis: & triangulus $\epsilon\alpha\beta$, triangulo $\zeta\delta\gamma$ aequalis. communis auferatur triangulus $\delta\eta\epsilon$. quare reliquum trapezion $\alpha\beta\eta\delta$, reliquo trapezio $\epsilon\eta\gamma\zeta$ est aequale. Communis addatur triangulus $\eta\beta\gamma$. totum igitur parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$, est aequale toti parallelogrammo $\epsilon\beta\gamma\zeta$. Conclusio.) Quae igitur parallelogramma eandem habent basin: & in eisdem aequedistantibus sunt lineis rectis: illa sunt inter se aequalia. Id quod erat demonstrandum.

Propositio 36. Theorema.

QVae parallelogramma, aequales habent

habent bases: & sunt in eisdem æquedistantibus lineis rectis: illa sunt æqualia inter se.

Explicatio dati.) *Sint parallelogramma* $\alpha\beta\gamma\delta$, $\epsilon\zeta\eta\theta$: *habentia bases* $\beta\gamma$, $\zeta\eta$ *æquales: & sint inter easdem æquedistantes rectas lineas* $\alpha\theta$, $\beta\eta$. *Explicatio quæsiti*) *Dico quod parallelogrammon* $\alpha\beta\gamma\delta$, *sit æquale parallelogrammo* $\epsilon\zeta\eta\theta$. *Delineatio.*) *Ducantur lineæ rectæ* $\beta\epsilon$, $\gamma\theta$. *Demonstratio.*) *Quoniam recta* $\beta\gamma$, *æqualis est rectæ* $\zeta\eta$: *&* $\zeta\eta$ *est æqualis rectæ* $\epsilon\theta$. *idcirco &* $\beta\gamma$, *est æqualis rectæ* $\epsilon\theta$. *verùm sunt lineæ rectæ æquedistantes, easque coniungunt rectæ* $\gamma\epsilon$, $\gamma\theta$: *rectæ verò quæ æquales, & æquedistantes rectas ex eadẽ parte coniungunt: & ipsæ æquales, & æquedistantes sunt. quare rectæ* $\epsilon\beta$, $\gamma\theta$ *æquales & æquedistantes sunt. atq; figura* $\epsilon\beta\gamma\delta$ *est parallelogrãmon, & est æquale parallelogrãmo* $\alpha\beta\gamma\delta$. *quia cum eo eandẽ habet basim* $\beta\gamma$: *& in eisdẽ est æquedistantibus rectis* $\beta\gamma$, $\alpha\theta$. *Similiter demonstrabimus quod* $\zeta\eta\theta\epsilon$ *eidem parallelogrãmo* $\epsilon\beta\gamma\theta$ *sit æquale. quare parallelogrammon* $\alpha\beta\gamma\delta$, *parallelogrãmo* $\epsilon\zeta\eta\theta$ *est æquale.*

Conclusio.) Quae igitur parallelogramma, aequales habent bases: & sunt in eisdem aequedistantibus lineis rectis: illa sunt aequalia inter se. Idque erat demonstrandum.

Propositio trigesima septima. Theorema.

QVi trianguli, eandem habent basin: & sunt in eisdem equedistantibus lineis rectis: illi sunt inter se aequales.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli $\alpha\beta\gamma$. $\delta\gamma\beta$, super eadem basi $\beta\gamma$: & in eisdem aequedistantibus lineis rectis $\alpha\delta$, $\beta\gamma$. Explicatio quaesiti.) Dico quod triangulus $\alpha\beta\gamma$: sit aequalis triangulo $\delta\gamma\beta$. Delineatio.) Producatur linea recta $\alpha\delta$, in vtramque partem ad puncta ϵ, & ζ: & ex puncto β, ducatur linea recta $\beta\epsilon$, aequedistans lineae rectae $\alpha\gamma$. praeterea ex puncto γ, ducatur recta $\beta\gamma\zeta$, aequedistans rectae δ. Demonstratio.) Vtraque igitur figura $\epsilon\beta\alpha\gamma$, & $\delta\beta\gamma\zeta$ est parallelogrammon. & parallelogrammon $\epsilon\beta\alpha\gamma$, est aequale parallelogrammo $\delta\beta\gamma\zeta$. quia super eadem basi $\beta\gamma$ est: & inter easdem aequedistantes lineas rectas $\beta\gamma$, $\epsilon\zeta$: &

paralle-

parallelogrammi $\epsilon\beta\gamma\alpha$ *dimidium est, triangu lus* $\alpha\beta\gamma$. *nam diameter* $\alpha\beta$ *ipsum per mediu secat. parallelogrammi verò* $\delta\epsilon, \gamma\zeta$ *dimidiu est triangulus* $\delta\beta\gamma$. *nam diameter* $\delta\gamma$ *ipsum per medium secat. Quæ verò æqualium sunt dimidia: illa inter se sunt æqualia. triangulus igitur* $\alpha\beta\gamma$, *triangulo* $\delta\beta\gamma$ *est æqualis, Conclusio.) Qui igitur trianguli, sunt super eadem basi: & inter easdem lineas rectas æquedistantes: illi inter se sunt æquales. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio trigesima octaua. Theorema.

QVi trianguli, æquales habent bases: & sunt in eisdem æquedistantibus lineis rectis: illi inter se sunt æquales.

Explicatio dati.) Sint trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\delta\epsilon\zeta$: *super basibus æqualibus* $\gamma\beta$, $\epsilon\zeta$: *in eisdem æquedistantibus lineis rectis* $\alpha\delta$, $\beta\zeta$. *Explicatio quæsiti.) Dico quod triangulus* $\alpha\beta\gamma$, *sit æqualis triangulo* $\delta\epsilon\zeta$. *Delineatio.) Producatur linea recta* $\alpha\delta$, *in vtramq; partem ad puncta* η, *&* θ. *Ex puncto* β, *ducatur linea recta* *βη, æquedistans lineæ rectæ αγ. Item ex puncto ζ, ducatur linea recta ζθ, æquedistans lineæ rectæ δε. Demonstratio.) Vtraque igitur figura ηβγα, δεζθ est parallelogrammon. & parallelogrammon ηβγα, est æquale parallelogrammo δεζθ. quia super basibus βγ, εζ, æqualibus: & in eisdem lineis rectis æquedistantibus βζ, ηθ sunt. præterea parallelogrammi αβγα dimidiũ: est triangulus αβγ. quoniam diameter αβ, ipsum secat per medium. & parallelogrammi δεζθ dimidium, est ζεδ triangulus. quia diameter ζδ, ipsum secat medium. Quæ vero æqualium sunt dimidia: illa inter se sunt æqualia. quare triangulus αβγ, triangulo δεζ est æqualis. Conclusio.) Qui igitur trianguli, super basibus fuerint æqualibus: & in eisdem lineis æquedistantibus: illi inter se sunt æquales. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio trigesima nona. Theorema.

TRianguli æquales, eandẽ habentes basim: & ex eadem parte, & in eisdem æquedistantibus rectis sunt.

Explicatio dati.) Sint trianguli αβγ. δβγ. super eadem basi βγ. Explicatio quæsiti.) Dico quod etiam in eisdem sint lineis rectis æquedistantibus. Delineatio.) Ducatur linea recta αδ. Explicatio delineationis.) Dico quod recta αδ, æquedistet rectæ βγ. Hypothesis.) Si enim ei non æquedistat: ducatur per punctum α, rectæ lineæ βγ, æquedistans recta αε: & ducatur linea recta εγ. Demonstratio.) Triangulus igitur αβγ, est æqualis triangulo εβγ: qui super eadem basi βγ est: et in eisdem lineis rectis æquedistantibus βγ, αε. verùm triangulus αβγ: est æqualis triangulo δβγ: idcirco & triangulus δβγ, triangulo εβγ est æqualis. maior minori. quod fieri nequit. Quare recta αε, non æquedistat rectæ βγ. Simili ratione demonstrabimus, quod nulla alia præterquam αδ recta, æquedistet rectæ βγ. recta igitur αδ, rectæ βγ æquedistat. Cōclusio.) Trianguli igitur æquales: eandem habentes basin: in eisdem sunt æquedistantibus rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propo-

Propositio quadragesima. Theorema.

TRianguli æquales: super æqualibus constituti basibus: sunt in eisdem lineis rectis equedistãtibus.

Explicatio dati.) Sint trianguli aequales, $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\delta\epsilon$: super basibus $\beta\gamma$, $\gamma\epsilon$ aequalibus. Explicatio quaesiti. Dico quod in eisdem sint aequedistantibus lineis rectis. Delineatio.) Ducatur recta $\alpha\delta$. Explicatio delineationis.) Dico quod $\alpha\delta$, aequedistet rectae $\beta\epsilon$. Hypothesis.) Si enim ei non aequedistat, ducatur per punctũ α, rectae $\beta\epsilon$, aequedistans recta $\zeta\alpha$: & ducatur recta $\zeta\epsilon$. Demonstratio.) Triangulus igitur $\alpha\beta\gamma$: est aequalis triangulo $\zeta\gamma\epsilon$. quia sunt constituti super basibus $\beta\gamma$, $\gamma\zeta$ aequalibus: & in eisdem lineis rectis aequedistantibus $\beta\epsilon$, $\alpha\zeta$. sed triangulus $\alpha\beta\gamma$, est aequalis triangulo $\delta\gamma\epsilon$. quare triangulus $\delta\gamma\epsilon$: etiam erit aequalis triangulo $\zeta\gamma\epsilon$. maior minori. quod fieri nequit. nõ igitur recta $\alpha\zeta$, aequedistat rectae $\beta\epsilon$. Simili ratione demonstrabimus, quod nulla alia praeterquam $\alpha\delta$ recta: aequedistet rectae $\beta\epsilon$. Cõclusio.) Trianguli igitur aequales: super aequalibus constituti basibus: sunt in eisdem lineis

neis

neis rectis æquedistantibus. Id quod erat demonstrandum.

Propositio quadragesima prima.
Theorema.

PArallelogrammon, trianguli est duplum: si super eadem consistat basi: & in eisdem fuerit æquedistantibus lineis rectis.

Explicatio dati.) Parallelogrammon αβγδ, & triangulus εβγ: sint super eadem basi βγ, in eisdem æquedistantibus lineis rectis αε, βγ. Explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon αβγδ: sit duplum trianguli βεγ. Delineatio.) Ducatur recta αγ. Demonstratio.) Triangulus αβγ, est æqualis triangulo εβγ: quia super eadem basi sunt βγ: & in eisdem æquedistantibus lineis rectis βγ, αε. sed parallelogrammon αβγδ, est duplum trianguli αβγ. quia αγ diameter ipsum mediū secat. quare & parallelogrammon αβγδ: trianguli εβγ duplum erit. Conclusio.) Parallelogrammon igitur trianguli est duplum: si super eadem consistat basi: & in eisdem fuerit æque-

æquedistantibus lineis rectis. Id quòd erat demonstrandum.

Propositio quadragesima secunda.
Problema.

DAto triangulo, æquale statuere parallelogrammon: in angulo rectilineo dato.

Explicatio dati.) Sit triangulus datus $\alpha\beta\gamma$*: & datus angulus rectilineus* δ*. Explicatio quæsiti.) Dato triangulo* $\alpha\beta\gamma$*, statuendum est parallelogrammon æquale: in angulo qui est æqualis, dato angulo rectilineo* δ*. Delineatio. Dissecetur linea recta* $\beta\gamma$ *media in puncto* ϵ*: & ducatur linea recta* $\alpha\epsilon$*: atque statuatur ad lineam rectam* $\epsilon\gamma$*: & ad punctum eius* ϵ*: dato angulo rectilineo* δ*: æqualis angulus rectilineus* $\gamma\epsilon\zeta$*: postea ducatur per punctũ* α*, linea recta* $\gamma\epsilon$*: æquedistans linea recta* $\alpha\eta$*: & per punctum* γ*, lineæ rectæ* $\epsilon\zeta$*, æquedistans linea recta* $\gamma\eta$*. Erit itaq; figura* $\zeta\epsilon\gamma\eta$ *parallelogrammon. Demonstratio.) Quoniam* $\beta\epsilon$ *est æqualis* $\epsilon\gamma$*; idcirco & triangulus* $\alpha\beta\epsilon$*, triangulo* $\alpha\epsilon\gamma$ *est æqualis: sunt enim super basibus*

æquali-

æqualibus $\beta\varepsilon, \varepsilon\gamma$: & in eisdē lineis rectis $\beta\gamma$, $\alpha\eta$, æquedistantibus, Quare $\alpha\beta\gamma$ triangulum duplus est trianguli $\alpha\varepsilon\gamma$. verū parallelogrammon $\varepsilon\zeta\gamma\eta$: etiam est duplum trianguli $\alpha\varepsilon\gamma$. quia eandem habent basin $\varepsilon\gamma$: & in eisdē sunt æquedistantibus lineis rectis $\varepsilon\gamma$, $\zeta\eta$. Quare parallelogrammon $\varepsilon\zeta\gamma\eta$: est æquale triangulo $\alpha\beta\gamma$: & habet angulum $\gamma\varepsilon\zeta$, æqualem angulo δ. Cōclusio.) Dato igitur triangulo $\alpha\beta\gamma$: statutum est æquale parallelogrammon $\varepsilon\zeta\gamma\eta$, in angulo $\zeta\varepsilon\gamma$, qui est æqualis, dato angulo rectilineo δ. Quod faciendum erat.

Propositio 43. Theorema.

OMnis parallelogrammi, eorum quæ circa eandem sunt dimetientem parallelogrammωn supplementa: æqualia inter se sunt.

Explicatio dati.) Sit parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$: dimetiens eius $\alpha\gamma$: & circa $\alpha\gamma$, sint parallelogramma $\varepsilon\theta$, $\zeta\eta$, & quæ vocantur supplementa sint $\beta\kappa$, $\kappa\delta$. Explicatio quæsiti.) Dico quod supplementum $\beta\kappa$, sit æquale supplemēto $\gamma\delta$. Demonstratio.) Quoniam $\alpha\beta\gamma\delta$

paralle-

parallelogrammon, diametrum habet $\alpha\gamma$: *idcirco triangulus* $\alpha\beta\gamma$; *est æqualis triangulo* $\alpha\delta\gamma$. *Rursus quoniam* $\epsilon\kappa\theta\alpha$ *parallelogrammon: diametrum habet* $\alpha\kappa$ *lineam rectã: ideo* $\epsilon\alpha\kappa$ *triangulus, est æqualis triangulo* $\alpha\theta\kappa$. *per eadem demonstrabitur triangulum* $\kappa\zeta\gamma$, *triangulo* $\kappa\eta\gamma$ *esse æqualem. Cum igitur triangulus* $\alpha\epsilon\kappa$, *triangulo* $\alpha\theta\kappa$ *sit æqualis: & triangulus* $\kappa\zeta\gamma$, *æqualis triangulo* $\kappa\eta\gamma$: *erit itaq; triangulus* $\alpha\epsilon\kappa$ *cum triangulo* $\kappa\theta\gamma$ *æqualis triangulo* $\alpha\theta\kappa$, *cum triangulo* $\kappa\zeta\gamma$. *verùm totus triangulus* $\alpha\beta\gamma$, *toti triangulo* $\alpha\delta\gamma$ *est æqualis. quare reliquum supplementũ* $\beta\kappa$, *reliquo supplemento* $\kappa\delta$ *est æquale. Conclusio.) Omnis igitur parallelogrammi, eorum quæ circa eandem sunt dimetientẽ parallelogrammõn supplementa: æqualia sunt inter se. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio quadragesima quarta.
Problema.

AD datam lineam rectam: dato triangulo: æquale statuere parallelogrãmon: in angulo rectilineo dato. *Expli-*

Explicatio dati.) Sit data linea recta $\alpha\beta$: datus vero triangulus γ: datus angulus recti lineus δ. Explicatio quæsiti.) Ad datam lineam rectam $\alpha\beta$: statuendum est parallelogrammon, æquale triangulo dato γ: in angulo, qui est æqualis angulo δ dato. Delineatio.) Fiat triangulo γ, æquale parallelogrammon $\beta\epsilon\zeta\eta$: in angulo $\epsilon\beta\eta$, æquali angulo δ dato: & sit linea recta $\beta\epsilon$, ἐπ' εὐθείας rectæ $\alpha\beta$: atque producatur linea recta $\zeta\eta$, ad punctum θ. per punctum etiam α: æducatur alterutri linearū $\beta\zeta\eta$, $\epsilon\zeta$ æquedistās linea recta $\alpha\theta$: deniq; ducatur linea recta $\theta\beta$. Demōstratio.) Quoniam in duas rectas æquedistātes $\alpha\theta$, $\epsilon\zeta$: incidi recta linea $\theta\zeta$. idcirco anguli $\alpha\theta\zeta$, $\theta\zeta\epsilon$ duobus rectis sunt æquales. atq; ideo anguli $\beta\theta\eta$, $\eta\zeta\epsilon$ duobus rectis sunt minores, verum lineæ rectæ, à duobus angulis, qui sunt minores duobus angulis rectis: in infinitum vsque ductæ concurrunt. quare $\theta\beta$, $\zeta\epsilon$ productæ concurrent. Altera delineationis pars.) Producantur duæ lineæ rectæ $\zeta\epsilon$ $\theta\beta$: & concurrant in puncto κ: & per punctum κ, alterutræ linearum $\epsilon\alpha$, $\zeta\theta$, ducatur $\kappa\lambda$ æquedistans: atque producantur lineæ *recta ηβ, θα, ad puncta vsq; λ, μ. Demonstrationis altera pars.) Est igitur figura θλκζ parallelogrammon: eiusq; diameter θκ: circa dimetientem verò parallelogramma sunt αη, με: dicta vero supplementa λβ, βζ. quare λϐ supplementum, est æquale βζ supplemẽto. verùm βζ supplementum, est æquale triangulo γ. ergo & λϐ supplementum triangulo γ est æquale. præterea quoniam angulus ηβε est æqualis angulo αβμ: & angulus ηβε etiam est æqualis angulo δ. idcirco & angulus αβμ, etiam est æqualis angulo δ. Conclusio.) Ad datam igitur lineam rectam αβ: dato triangulo γ: æquale constitutum est parallelogrammon λβ: in angulo αβμ, qui est æqualis angulo δ. Id quod erat faciendum.*

Propositio quadragesima quinta. Problema.

DAto rectilineo: æquale statuere parallelogrammon: in angulo rectilineo dato.

Explicatio dati.) Sit datum rectilineum αβγδ: & datus angulus rectilineus ε. Explica-

plicatio quæsiti.) Dato rectilineo αϐγδ: statuendum est æquale parallelogrammon: in angulo rectilineo, qui est æqualis angulo ε dato. Delineatio.) Ducatur linea recta βδ: & constituatur triangulo αϐδ æquale parallelogrammon ζθ: habens angulum θκζ, æqualem angulo ε. statuatur etiam ad lineam rectam ηθ, parallelogrammon ημ, æquale triangulo δϐγ: habens angulum κθμ æqualem angulo ε. Demonstratio.) Quoniã angulus ε alterutri angulo θηζ, ηθμ est æqualis: idcirco & angulus ηθμ, angulo θκζ est æqualis. cõmunis addatur angulus κθη. ergo duo anguli ζκθ, κθη: duobus angulis κθη, κθμ sunt æquales. verum duo anguli ζηθ, κθη duobus rectis sunt æquales. quare & anguli κθη, ηθμ duobus rectis sunt æquales. ad lineam rectam ηθ, & punctũ in ea datum θ in diuersas partes ductæ sunt lineæ rectæ κθ, θμ: atq; faciunt angulos ἐφεξῆς æquales duobus rectis: quare recta κθ, est ἐπ' ἐὐθείας rectæ θμ. Et quia in lineas rectas æquedistãtes κμ, ζη, recta quædam θη incidit: anguli idcirco alterni sunt inter se æquales: angulus μθη, æqualis angulo θκζ. Communis *addatur angulus $\theta\eta\lambda$. anguli igitur $\mu\theta\eta$, $\theta\eta\lambda$: angulis $\theta\kappa\zeta$, $\theta\eta\lambda$ sunt æquales. verum $\lambda\theta\eta$, $\theta\eta\lambda$ anguli sunt æquales duobus rectis. quare & anguli $\theta\kappa\zeta$, $\theta\eta\lambda$, duobus rectis sunt æquales. quare recta $\zeta\eta$, est ἐπ' ἐυθείας, rectæ $\eta\lambda$. Cum vero $\kappa\zeta$ recta, rectæ $\theta\eta$ sit æqualis, & æquedistans: item $\theta\eta$ recta, rectæ $\mu\lambda$ æqualis & æquedistans: idcirco & $\kappa\zeta$ recta, rectæ $\mu\lambda$ æqualis & æquedistans est: easq́ coniungunt rectæ $\kappa\mu$, $\zeta\lambda$. quare & $\kappa\lambda$, $\zeta\mu$ æquales & æquedistantes sunt: vnde fit, quod figura $\kappa\zeta\lambda\mu$ sit parallelogrammon. Cum autē triangulus $\alpha\beta\delta$: sit æqualis parallelogrammo $\theta\zeta$: & triangulus $\delta\beta\gamma$ parallelogrammo $\eta\mu$. totum igitur rectilineum $\alpha\beta\gamma\delta$: toti parallelogrammo $\kappa\zeta\lambda\mu$ est æquale. Conclusio.) Dato igitur rectilineo $\alpha\beta\gamma\delta$: constitutum est parallelogrammon $\kappa\zeta\lambda\mu$ æquale: in angulo $\zeta\eta\mu$: qui est æqualis dato angulo ε. Id quod faciendum erat.*

Propositio quædragesima sexta. Problema.

A Data linea recta: describere quadratum.

Explicatio dati.) Sit data linea recta

cta

cta $\alpha\beta$. Explicatio quæsiti.) A data linea recta $\lambda\beta$, describendum est quadratū. Delineatio.) Ducatur ex puncto α, lineæ rectæ $\alpha\beta$: ad angulos rectos recta linea $\alpha\gamma$: & fiat rectæ $\alpha\beta$, æqualis recta $\alpha\delta$: per punctum etiam δ, lineæ rectæ $\alpha\beta$: ducatur æquedistans linea recta $\delta\varepsilon$: deniq; per punctum β, lineæ rectæ $\delta\varepsilon$: ducatur æquedistans linea recta $\beta\varepsilon$. Demonstratio.) Figura igitur $\alpha\beta\delta\varepsilon$, est parallelogrammon: & $\alpha\beta$, est æqualis $\delta\varepsilon$, atq; $\alpha\delta$ rectæ $\beta\varepsilon$: sed & $\alpha\beta$ etiam est æqualis rectæ $\alpha\delta$. quatuor igitur rectæ $\alpha\beta$, $\alpha\delta$, $\delta\varepsilon$, $\beta\varepsilon$, sunt inter se æquales, atq; idcirco parallelogrammon $\alpha\delta\varepsilon\beta$ est æquilaterum. Secūda explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon $\alpha\delta\varepsilon\beta$: etiam sit rectangulum. Demonstratio.) Cum in duas rectas æquedistantes $\alpha\beta$, $\delta\varepsilon$, recta quædam $\alpha\delta$ inciderit: anguli $\beta\alpha\delta$, $\alpha\delta\varepsilon$, duobus rectis sunt æquales: verùm angulus $\beta\alpha\gamma$, est rectus. idcirco & angulus $\alpha\gamma\varepsilon$, etiā est rectus. parallelogrāma verò angulos oppositos æquales: & latera opposita habēt æqualia: quare vterq; angulorum oppositorum $\alpha\beta\varepsilon$, $\varepsilon\beta\delta$ est rectus: ideoq; $\alpha\delta\varepsilon\beta$ parallelogrammon, est rectangulum. sed

& æquilaterum esse, fuit demonstratum. Conclusio.) Quare $\alpha\beta\epsilon\gamma$ figura, est quadratum: & est descriptũ à linea recta data $\alpha\beta$. id quod erat demonstrandum.

Propositio quadragesima septima. Theorema.

IN triangulis rectangulis, quadratũ lateris angulum rectum subtendentis: est æquale quadratis laterum, rectum angulum continentium.

Explicatio dati.) Sit triangulus rectangulus $\alpha\beta\gamma$, habens angulum $\beta\alpha\gamma$ rectum. Explicatio quæsiti.) Dico quod quadratum lateris $\beta\gamma$: sit æquale quadratis laterum $\beta\alpha, \alpha\gamma$. Delineatio.) Describatur à linea $\beta\gamma$, quadratum $\beta\delta\epsilon\gamma$: & à linea $\beta\alpha$, quadratum $\beta\eta$. Præterea à linea $\alpha\gamma$ quadratum $\gamma\theta$. Ducatur etiam per punctum α: alterutræ linearum $\beta\delta, \gamma\epsilon$ æquedistans recta linea $\alpha\lambda$. deniq; ducantur duæ lineæ rectæ $\alpha\delta, \zeta\gamma$. Demonstratio.) Quoniam vterq; angulorum $\beta\alpha\gamma, \beta\alpha\eta$ est rectus. idcirco ad rectam quandam $\beta\alpha$: & ad punctum quod in ea est α, duæ rectæ $\alpha\gamma, \alpha\eta$

in

in diuersas partes ductæ: faciunt angulos vicinos inter se æquales. quare recta γα est ἐπ' εὐθείας rectæ αη. per eadem ista demonstrabitur: quod recta αϐ, est ἐπ' εὐθείας rectæ αθ. quoniam verò angulus δγβ, æqualis est angulo ζβα (quia vterque est rectus) communis addatur angulus αβγ. totus igitur angulus δβα: toti angulo ζβγ est æqualis. cùm verò duo latera δϐ, βα, duobus lateribus βζ, ϐγ sint æqualia, alterum alteri: & angulus δβα, angulo ζβγ æqualis. basis igitur αδ, basi ζγ est æqualis. & triangulus αβγ, triangulo ζβγ æqualis. verùm trianguli αβγ: parallelogrammon ϐλ est duplum. quia habent eandem basin βδ: & sunt in eisdem lineis rectis æquedistantibus βγ, αλ. Item trianguli ζϐγ, duplum est quadratum ηβ. quia habent eandem basin ζβ: & sunt in eisdem lineis rectis æquedistantibus ζϐ, ηγ. Quæ vero æqualium sunt dupla: illa inter se sunt æqualia. ideoque parallelogrammon βλ, æquale est quadrato ηβ. Simili ratione quando αε, γζ, rectæ coniunguntur: demonstrabitur quod parallelogrammon γλ: sit æquale quadrato ηγ. totum *igitur quadratum δϐεγ: duobus quadratis ηβ,θγ, est æquale. sed βδεγ quadratum: est descriptum à latere βγ, & quadrata ηβ, θγ sunt descripta à lateribus ϐα,αγ. Quadratū igitur lateris βγ: est æquale quadratis laterū βα,αγ. Cōclusio.) In triangulis igitur rectangulis: quadratum lateris rectum angulū subtendentis: est æquale quadratis laterum rectū angulum cōtinentium. quod erat demonstrandum.*

Propositio quadragesima octaua.
Theorema.

SI quadratum vnius lateris trianguli; fuerit æquale quadratis reliquorum duorū laterum: erit angulus, quem reliqua illa duo trianguli latera continent, rectus.

Explicatio dati.) Sit quadratum lateris βγ, trianguli αϐγ, æquale quadratis laterum βα,αγ. Explicatio quæsiti.) Dico quod angulus βαγ sit rectus. Delineatio.) Ducatur à puncto α: lineæ rectæ αβ, ad angulos rectos linea recta αδ: & fiat lineæ αδ, æqualis recta linea αδ: deniq; ducatur linea recta δβ. Demonstra-

monstratio.) Quoniam recta δα, est æqualis recta αγ: idcirco & quadratũ à recta δα descriptum: erit æquale, quadrato à recta αγ descripto. Commune addatur quadratũ rectæ αβ. quare quadrata rectarum δα, αβ: sunt æqualia quadratis rectæ βα, αγ. verùm quadratis rectarum δα, αβ: æquale est quadratum rectæ γϐ: quia angulus δαβ est rectus. quadratis verò rectarum αβ, αγ: æquale proponitur esse quadratum rectæ δβ. Quare quadratum rectæ δβ: æquale est quadrato rectæ βγ. vnde etiam latus δβ: lateri βγ, est æquale. Quoniam verò latus αδ, est æquale lateri αβ: commune verò latus αγ: duo latera δα, αβ: duobus lateribus βα, αγ sunt æqualia: & basis δβ, est æqualis basi βγ. idcirco & angulus δαβ, angulo βαγ est æqualis. Verum angulus γαβ est rectus. quare & angulus ϐαγ etiã erit rectus. Conclusio) Si igitur quadratum vnius lateris trianguli fuerit æquale quadratis reliquorum duorum laterum: erit angulus quem reliqua duo trianguli latera continent rectus. Id quod erat demonstrandum.

SCHOLIA IN HOC PRImum Euclidis elementum, Cunradi Dasypodij.

De scientijs Mathematicis.

Mathematicas scientias, sic dictas volunt: quòd cum alias artes etiam absq; præceptore intelligere, & addiscere possimus: has tamen non nisi instituti, & edocti: imò in illis exercitati percipere queamus: vt à discendo disciplinæ, à μαθήσει, ἐπιστήμαι μαθηματικαὶ dicantur. Pythagorici autem mathematicæ nomẽ, duabus tantum scientijs Arithmeticæ, & Geometriæ imposuerũt. quoniam in his potißimum τὸ ἐπιστημονικὸν, & ipsa μάθησις cerni potest. postea tamen nonnulli latius sumpto vocabulo: alias scientias hisce cognatas appellarunt Mathematicas, Astronomiam, Musicam, & quæ huius sunt generis. Hinc fit, vt Mathematica definiatur scientia contemplationem habens rerum, non tantum abstractarum, vt sunt numeri, & figuræ: sed & sensibus ipsis subiectarum, vtpote

pote cœli, terræ, stellarum, sonorum, tonorum, & quæcunque his sunt similia.

Hanc verò vniuersalem mathesin: in duas potißimum partes diuidunt: altera enim versatur circa res mẽte & ratione perceptas: quæ Græcis nominantur τὰ νοητὰ, & διανοητὰ. altera verò τῶν αἰσθητῶν, rerum sensu subiectarum habet perceptionem: illa Geometriam, & Arithmeticam complectitur: hæc verò in sex est diuisa scientias, Geodæsiam, & Opticam: quæ ex Geometria nascuntur: Logisticam & Canonicam, prognatas ex Arithmetica: denique Mechanicam, & Astronomiã: quas ad vtramque referri tradunt. Est & alia Mathematicæ diuisio: in quatuor partes tantum facta. quoniam μάθησις vel habet perceptionem quantitatis continuæ, vel quantitatis discretæ. Geometria enim, & Astronomia sibi habẽt subiectas ipsas magnitudines: Geometria quidem eam, quæ est sine motu: Astronomia eam, quæ mouetur. sic etiam multitudinis & numerorum fit contemplatio, in Arithmetica, & Musica: illa enim numeros per se considerat: eorumque proprietates inuestigat.

stigat: hæc verò numeros tractat relatos, quos etiam harmonicos appellant. Itaque vniuersalis quædam mathematica cognitio & doctrina est statuenda: sub se complectens reliquas disciplinas omnes: suaq́ principia, & vniuersales propositiones omnibus communicans: non quatenus numeris, aut figuris, vel deniq́ motibus illa insunt: sed quatenus eorũ vniuersalis est natura: & talis, quæ singularibus illis disciplinis attribui potest. Sunt autẽ eiusmodi principia τὸ πέρας, καὶ τὸ ἄπειρον, *finitum, & infinitum: quia numerus incipit ab vnitate, & in infinitum vsq́ crescit: is verò qui sumitur, finitus semper est: sic etiam magnitudines in infinitum vsq́ diuidi possunt: cũ tamen ea quæ diuiduntur: sint finita, & terminata. Propositiones verò mathematicæ communes sunt istæ, in quibus contemplamur* λόγους, ἀναλογίας, συνθέσεις, διαιρέσεις, ἀναστροφὰς, ἐναλλαγὰς τὸ ἴσον, τὸ ἄνισον, *id est, rationes, proportiones, compositiones, diuisiones, cõuersiones, alternas permutationes, æquale, & inæquale. deinde* τὸ κάλλος, καὶ τάξις, *ipsaq́* μέθοδος. *præterea* ὁμοιότης, καὶ ἀνομοιότης, *similitudo*

militudo, & dissimilitudo rerum in figuris, numeris, & motibus vniuersaliter considerantur. hæc inquam omnia, & his similia vnaquaque disciplina ad suam accommodat rem subiectam: eaq; ei inesse proprijs confirmat rationibus. Præterea Mathematicarum disciplinarum fastigium & vertex quasi: est ipsa ἀποδεικτική. *quia per ipsam hæ scientiæ perficiuntur: dum definitionibus, diuisionibus, demonstrationibus, & quicquid harum rerum est, vtuntur.*

De Geometria, & eius elementis.

Proclus Geometriã sic definit: γεωμετρία ἐστὶ ἐπιστήμη γνωστικὴ μεγεθῶν, καὶ σχημάτων, καὶ τῶν ἐν τούτοις περάτων: ἐπι δὲ καὶ τῶν λόγων τῶν ἐν αὐτοῖς, καὶ παθῶν τῶν περὶ αὐτὰ, καὶ τῶν παντοίων θέσεων, καὶ κινήσεων. *Geometria est scientia, vel cognitio magnitudinum, & figurarum, atq; etiam terminorum quibus illæ clauduntur: quæq; proportiones & rationes, atq; etiam passiones his accidentes demonstrat: positionum deniq;, & motuum varietates explicat. Hæc scientia duplex est: altera nominatur* θεωρία τῶν ἐπιπέδων: *altera* στερεωμετρία.

Plano

Planorum contemplatio tanquam simplicior præcedit, siquidem ex superficierum contemplatione nascitur corporum & solidorum cognitio. in vtraq; verò tria (sicuti in omnibus scientijs) considerantur. Primum ὑποκείμενον γένος, res ipsa, de qua doctrina est instituta: alterum τὸ καθ' αὑτὸ ὑπάρχον: id quod rei per se inest: & τὰ πάθη, rerum affectiones tertium ἀξιώματα, καὶ αἰτήματα, propositiones: per quas rebus subiectis inesse aliquid demõstratur. illa itaq; in Geometria consideranda veniunt: nam vt ex definitione Geometriæ licet videre: subiecta sunt trianguli, quadrata, circuli, sphæræ, Cylindri, & vt summatim dicam, figuræ planæ corpora solida, deniq; omnes magnitudines immobiles, & harum termini. quæ verò his per se in sunt, διαιρέσεις, ἁφαὶ, παραβολαὶ, ὑπεροχὴ, ἔλλειψις, ἰσότης καὶ ἀνισότης, id est, diuisiones contactus, applicationes, excessus, defectus, æqualitas, & inæqualitas: cum alijs quibusdam huius generis. Axiomata, & petitiones, quibus singula rebus subiectis demonstrantur inesse: sunt huiusmodi: quæ eidem sunt æqualia; illa inter se

sunt

sunt æqualia. item à puncto ad punctum: ducere lineam rectam. Hæc verò cum late pateat: & ipsarum rerum subiectarum, atq; propositionum geometricarũ magna, variaq; sit copia: necesse est, vt delectus habeatur, & in tradendo, atq; docendo incipiamus à simplicioribus, ac principalioribus: ex quibus tanquam notissimis: extruamus demonstrationes rerum in geometria abstrusarum. quas quidẽ simpliciores propositiones στοιχεῖα, earumq; doctrinam στοιχειώσιν Græci autẽ nominant. sunt στοιχεῖα seu elementa Geometriæ, propositiones simplicißimæ, in quas compositæ resoluũtur: & à quibus tanquam principijs, omnes Geometricæ demonstrationes egressæ sunt. tales sunt hæ propositiones Euclidis, quibus Archimedes, Apollonius, & cæteri geometræ tanquã principijs, & notißimis elementis vtuntur. ita tamen hæc prima, & simplißima Geometriæ principia ab Euclide conscripta sunt: vt nemo satis poßit hominis & ingenium, & industriam mirari. quæ enim ab antiquis fuerunt inuenta, in optimum redegit ordinem: delectum etiam in tanta copia, & varietate propositionum

posi-

positionum habuit talem: vt non omnia quæ dici poterant, assumeret: sed tantum, quæ elementari institutioni conueniebant. deinde omnes modos, omniaq́ genera syllogismorum adhibuit, quæcunq́ ab ipsis apodeicticis recipiuntur. Præterea vtimur diuisionibus in inueniendis rerum speciebus: itèm definitionibus in substantiali rerum subiectarum explicatione: adhæc demonstratione in ijs: quæ à principijs fiunt ad quæsita. deniq; resolutione cum à quæsitis ad ipsa principia fit reditus. Taceo de varijs, quibus vtimur conuertendi modis, continuatione, & dispositione singulari ipsorum elementorum: vt vnum absq; altero videatur esse non posse. Quæ cum ita sint, meritò omnes studiosi philosophiæ, & bonarum artium: sibi hæc Euclidis elementa familiaria reddere debebant: vt ad altiores capescendas scientias fierent paratiores.

De propositionibus Geometriæ.

Solent Geometræ duo præcipua propositionum genera habere: vnum est τῶν ἀρχῶν principiorum: alterum τῶν μετὰ τὰς ἀρχὰς προτάσεων: id est, propositionum, quæ princi-

pia se-

pia sequuntur. principia ipsa, quia per se manifesta, & simplicia sunt: nulla adhibita demonstratione primo explicantur loco: subsequuntur propositiones demonstratione indigentes: & ex ipsis demanantes principijs. & nisi hic ordo teneatur, verùm permisceantur omnia: tum & ipsa cognitio perturbatur: & quæ natura sunt distincta, coniunguntur. Illud ipsum facit Euclides, & principiorum facta enumeratione, absque vlla demõstratione: transit ad propositiones demonstrabiles. diuidit verò ipsa in ὑποθέσεις, αἰτήματα, καὶ ἀξιώματα, ἢ κοινὰς ἐννοίας. Est autem ὑπόθεσις, cum aliquis rei propositæ cognitionem nondum habet: quæ per se fidem rei faciat: verùm concedit assumẽti illud verum esse. eiusmodi sunt ipsæ definitiones Euclidis. Postulatum verò in genere est, cum neq; cognitum quid est: neque ab audiente concessum: tamen petitur ab alieno, vt assumi concedatur. sicuti cùm peto mihi concedi: omnes angulos rectos: æquales inter se esse. Axioma, vel pronunciatum est, quando quid cognitum est, & tam manifestum: vt per sese fidem habeat. vt quæ *eidem sunt æqualia: illa inter se sunt æqualia, totum maius est sua parte. Geometræ tamen hypotheseis vocant etiam ὅρους definitiones rerum subiectarum: vt si definiam lineam, angulos, figuras, & similia: quo sciatur, quibus de rebus sermo sit institutus. deinde αἴτημα, seu postulatum non sic sumunt vt Philosophi: sed postulatum vocant propositionem immediatam: in qua petitur aliquid quod factu est facile: & nulla indiget varia aut prolixa delineatione: vt si dicam, à puncto ad punctum: ducatur linea recta. Communis deniq; sententia Geometris dicitur propositio immediata: quæ per se manifesta, & cognitu perfacilis est, sine vlla demonstratione recepta: & communi omnium consensu concessa. Itaq; tria ista propositionum genera, in eo conueniunt: quod principiorum naturam habeant: ac per se sint manifesta. differunt verò, quòd hypothesis sit rerum subiectarum explicatio: postulatum proponit aliquid, quod factu sit facile: axioma rei per se manifestæ sit cognitio. Quidam verò petitiones dicunt tantum ad Geometriam spectare: axiomata verò ad omnes disciplinas.*

nas. Alij diuidunt hoc modo ipsas communes sententias: vt quasdam Geometriæ, nõnullas Arithmeticæ proprias esse dicant: alias deniq; communes. atq; hæc sint paucis dicta de principijs. Propositiones verò, quæ principia sequuntur: & demonstrari possunt ac debent: aliæ sunt προβλήματα, aliæ θεωρήματα. Problemata dicuntur propositiones, in quibus aliquid nobis ad agendum proponitur. vt quando figurarum ortus, & constitutiones, sectiones, subtractiones, additiones, & similia proponuntur. Theoremata autem sunt, in quibus ad contemplandum quiddam proponitur, vt si ea, quæ rebus per se insunt, aut accidunt, consideramus. cuiusmodi dicuntur esse τὰ καθ' αὐτὰ ὑπάρχοντα ἢ συμβεβηκότα: vel etiam συμπτώματα, aut deniq; τὰ πάθη. Differunt itaq; inter se, sed non aliter quàm petitio, & axioma. Euclides vtroq; genere vtitur. nam iterdum tantum habet problemata, vt in quarto libro, interdum verò solum theoremata, sicuti in quinto: nonnunquam deniq; theoremata problematibus commiscet: vt in reliquis facit libris.

SCHOLIA
De primo libro.

Proposuit sibi Euclides in hoc primo elemento: principia figurarum rectilinearum tradere: nam triangulus & parallelogrammon, sunt in figuris rectilineis omnium primæ, & simplicissimæ figuræ. Diuisit verò librum in partes tres: in prima, post explicationem principiorum: docet quomodo triangulus sit constituendus: quæ sint eius proprietates: cùm quoad angulos: tum etiam latera: præterea eosdem comparat inter se: & vnumquodq; accidens per se considerat: in altera de lineis æquedistantibus, & parallelogrammis doctrinã instituit: demonstrans quæ eis per se insint: & quomodò ipsa fiant parallelogramma. in postrema, parallelogramma & triangulos inter se confert. primum seorsim, deinde coniunctim. Atq; hæc breuiter sint dicta, & explicata: de vniuersali illa rerum mathematicarũ: & Geometriæ cognitione: nunc subiungemus perbreues locorum difficiliorum expositiones: & si quid forsan occurret: quod latius sit explicandũ, & ad vniuersam Geometriam spectare videbitur; id fusius exponemus. cuiusmodi

modi

modi est ille locus περὶ τοῦ πρίσματος, ἐνστάσεως ἀπαγωγῆς, *& de ijs, quæ his similia.*

Σημείων.) *Alij sic definiunt:* σημεῖόν ἐστι μονὰς θέσιν ἔχουσα. *punctum est vnitas, quæ positionem habet. solum punctum in Geometria diuidi non potest: sicut in Arithmetica vnitas non admittit diuisionem. sunt enim vnius, eiusdemq́; naturæ: quum duarum scientiarum omnium prima, & simplicissima sint principia: differunt tamen in eo, quòd punctũ dari & poni possit: vnitas verò puncto simplicior existens nõ ponatur: cùm ab omni interuallo, omniq́; materia, ac loco sit abstracta. Vtitur autem definitione negatiua, quoniam negationes maximè conueniunt principijs.*

Γραμμὴ.) *Principium omnium magnitudinum sola negatione definiuit: lineam verò nunc describit affirmando, & negando. quia affirmatione excedit naturam puncti: & minus est simplex puncto: cùm sit longitudo diuisionem admittens: negatione verò est principium respectu superficiei, & corporis. sunt enim tres dimensiones: longitudinis quæ attribuitur lineæ, lõgitudinis & latitudinis simul:*

quæ ad superficiem refertur: denique longitudinis, & latitudinis, atque profunditatis coniunctim in corpore. cum itaq; in definitione ponit ἀπλατὲς latitudine carens: vnà cum latitudine adimit quoque profunditatem: atque eam ob causam non addidit καὶ ἀβαθὲς, cùm superfluum esset. Alij sic definiunt lineam: γραμμή ἐστι ῥύσις τοῦ σημείου: id est, linea fit ex fluxu puncti: nonnulli γραμμὴν μέγεθος ὑφ' ἓν διαστατὸν nominant: magnitudinem vno contentam interuallo. Euclidis tamen definitio perfectior est: essentiam & substantiam lineæ explicans. Possumus autem lineã hoc modo cognoscere: si longitudines parietũ, aut itinerũ spatia dimetiamur, quia tum neq; latitudinem, neque crassitiem subiungimus: sed vnicam consideramus distantiam: sicuti cùm metimur prata, & campos: videmus ipsam tantum superficiem, id est longitudinem & latitudinẽ tantum eius loci, vel agri. Cùm verò puteos, tum est solidum, quia omnes distantiæ, omniaq; interualla ibi coniunguntur. dicimus enim longitudinis, latitudinis, profunditatis ipsius putei, tantum, vel tantum

esse

esse spatium. melius tamen cognoscemus lineam, quando obseruamus quomodo lucidum ab obscuro: illuminatum ab obumbrato distinguatur.

Εὐθεῖα.) Duæ simplicissimæ, ac præcipuæ linearum species sunt, recta & circularis: reliquæ omnes sunt mixtæ: & vel in superficiebus planis: vel in corporibus solidis considerantur. Plato lineam rectam definit sic: εὐθεῖα γραμμὴ ἐστι: ἧς τὰ μέσα τοῖς ἄκροις ἐπιπροσθεῖ: cuius media obumbrant extrema. quod licet videre in Eclipsi solis, quando in vna linea recta sunt Sol, Luna, & oculus noster: Luna media inter nos & Solem existente. Archimedes definit lineam rectam sic: εὐθεῖα γραμμὴ ἐστιν ἐλαχίστη τῶν τὰ αὐτὰ πέρατα ἐχουσῶν γραμμῶν, est breuissima earum linearum, quæ eosdem habent terminos. atque hæc definitio explicat Euclideam, & vicissim illa declarat hanc.

Ἐπιφάνεια.) Post punctum & lineam sequitur superficies, quæ duplici interuallo distat lõgitudine, & latitudine: caret verò crassitudine: atq; eam ob causam addidit particulam μόνον.

Ἐπιφάνειαι δέ.) *Sicut corpus solidũ clauditur, & terminatur superficie: sic & superficies linea finitur, & linea puncto. quod quidẽ est omnium magnitudinum communis, & simplicissimus, atq; extremus terminus.*

Ἐπίπεδος ἐπιφάνεια.) *Omnis superficies vel est plana, vel circularis, & sphærica. vnam igitur Geometra delegit, eamq; definit, nempe planam. possunt ei etiam congruere definitiones lineæ rectæ supra positæ: in hac autẽ plana superficie nos tanquam in aliquo subiecto contemplamur figuras, & figurarum affectiones. nam in plana superficie nos ducimus lineas rectas, circulares, & figuras omnis generis: item linearum, circulorum, & figurarum sectiones, contactus, applicationes angulorum, constitutiones, & quicquid harum est rerum. sed planam superficiem idcirco elegit, quoniam in alijs superficiebus ista omnia non possunt ita intelligi, aut describi, quemadmodum in plana. Vocat itaq; hic planũ id, quod nobis ante oculos est positum: & in quo mente atque cogitatione omnia describimus, & delineamus, atq; firmis rationibus confirmamus.*

Ἐπί-

Επίπεδος γωνία.) Genus definitionis est κλίσις, inclinatio: locus autem in quo describitur angulus, est τὸ ἐπίπεδον, planũ ipsum: ortus verò eius est, quòd ad minimum duæ debent esse lineæ rectæ: sicuti in solido angulo, lineæ tres: deinde illæ duæ lineæ rectæ: debent sese mutuo tangere: neq; sitæ esse in directo. illud enim est ἐπ' εὐθείας, quando duæ lineæ rectæ ita collocatæ sunt: vt protractis istis lineis rectis, & concurrentibus, vna ex duabus fiat linea recta.

Οταν δὲ.) Enumerat species substantiales anguli rectilinei, definitionibus acuti & obtusi anguli: est addendũ genus: quod scilicet vterq; sit rectilineus, alter maior recto, alter verò recto minor. Verum nõ absolute illud est sumendum, quod omnis angulus recto minor, sit acutus: quia sunt anguli nonnulli etiam non rectilinei minores recto, & tamen non acuti: sicut neq; illud simpliciter sumitur, quod obtusus sit recto maior, & idcirco omnes recto angulo maiores sunt obtusi. quoniam sunt anguli recto maiores, qui non sunt obtusi.

Σταθεῖσα.) Rectam super recta constituit in definitione anguli recti : non autem in anguli obtusi aut acuti descriptione . quia angulus rectus, est angulorum non rectorum mensura: sicuti æqualitas , est regula & norma inæqualitatis.

Αλλήλαις.) Possunt enim æquales esse, sed si inter se æquales sint: necesse est vt sint recti.

Εφεξῆς.) Indicat causam rectitudinis: quia si anguli contigui inter se sunt æquales, rectus erit vterq; illorum æqualium angulorum. nam stans illa recta in neutrum inclinat partem : & idcirco causa est non æqualitatis tantum, sed & rectitudinis. Traditur verò hic de angulis, qui sunt in vno eodemq; plano: sicuti & perpendicularis non qualibet hic definitur : sed illa tantum, quæ in vno, eodemq; est plano.

Κύκλος.) Prima simplicissima, atq; perfectissima figura plana est circulus, vt in corporibus solidis sphæra.

Σχῆμα.) Quia vno comprehenditur termino. ἀφ' ἑνός. sunt enim infinita in circulo puncta: quorum omnium vnum tantum centri nomen & naturam retinet. Εντὸς.) ad

diffe-

differentiam eius puncti, quod extra circulum sumitur: & polus dicitur. omnia enim in vno sunt plano. idcirco etiam statim definitionem illius puncti subiungit, vt sciamus nō polum, sed centrum intelligi.

Διάμετρος.) *Circulo propriè conuenit: nam ἄξων vel ἄξις est ipsius sphæræ: διαγώνιος verò figurarum quadrilaterarum.*

Ημικύκλιον.) *Semicirculum inquit circuli diametro & circumferentia comprehendi: propter τμήματα segmenta circulorum, quorum alterum μείζων maius, alterum ἔλαττον minus dicitur.*

Ευθύγραμμα.) *à figura quæ vno termino, ad eam quæ duobus comprehenditur, est progressus: nunc ad alias pergit explicandas: idq́ iuxta ordinem numerorum, binarium, & ternarium, & ita deinceps. quamuis vltra quadrilateras figuras, quæ in elementis locum habent, non progreditur specialiter: verùm sub vno vocabulo comprehendit: & eas nominat τὰ πολύπλευρα, multilateras figuras. Omnis igitur figura rectilinea, vel est trilatera: vel quadrilatera: vel gradatim multilatera:*

sed

sed non è contra omnis trilatera, quadrilatera, aut multilatera est rectilinea.

Τριπλεύρων.) *Triangulorum duplex est diuisio: vna per se manifesta, & cognita sumpta ab ipsis lateribus: altera quae eam subsequitur est propria ab ipsis angulis facta.*

Τετραπλεύρων.) *Praecipua diuisio quadrilaterarum figurarũ haec est: aliae dicuntur parallelogramma: aliae nõ parallelogramma. quae verò parallelogramma dicuntur: aliae rectangula, & aequilatera sunt: vt* τετράγωνον *quadratum: aliae verò horum neutrum habẽt, vt* τὸ ῥομβοειδὲς, *Rhombi speciem habens. nonnulla verò sunt quidem rectangula: sed nõ aequilatera, vt* ἑτερομηκὲς, *parallelogrammon altera parte longius: deniq; sunt parallelogramma, quae aequilatera quidem, sed non rectangula sunt, vt est* ῥόμβος, *Rhombus. Figurae verò quadrilaterae, quae non sunt parallelogramma: aut duo tantum habent parallela latera, & sunt* τραπέζια: *aut nulla prorsus parallela latera, & nominantur* τραπεζοειδῆ, *speciem trapezij habentia. Verum Euclides hanc diuisionem facere non potuit,*

cùm

cùm de parallelis lineis aut figuris hisce lineis contentis nulla sit facta mentio: idcirco simpliciorem illam facit diuisionem τετραπλεύρων.

Καὶ πᾶσαι ὀρθαὶ) *Quidam iuxta Peripateticos volunt hanc propositionẽ esse αἴτημα, petitionem: alij verò & melius ἀξίωμα, pronuntiatum. Cùm nunc paucis absoluerimus principia: restant propositiones demonstrabiles. omnis enim scientia vel versatur in principiorum explicatione: quas sine vlla demonstratione adhibita recipit: vel in doctrina propositionum earum, quæ ex ipsis demanãt principijs: & per ea demonstrantur: quare & nos illas aggrediamur.*

De partibus problematis, atque Theorematis.

Propositiones quæ demonstrationem admittunt, suprà duplices coustituimus esse: vel enim sunt προβλήματα, problemata: in quibus ea, quæ quodammodo nondum existunt comparare, & constituere proponitur: vel θεωρήματα, theoremata, in quibus id quod

iam

iam constitutum est, & in rerum natura existit, cognoscere, & perspicere statuimus. Geometria enim, vt & aliæ scientiæ, habet omnes quatuor quæstiones: an sit, quid sit, quale sit, & quare sit: de quibus quidem omnibus sermonem instituit ipsa Geometria, vt apud Euclidem videbimus. Omne verò problema, omneq́ theorema, quod suis perfectum, & absolutum est partibus, hæc in se habet: πρότασιν, ἔκθεσιν, διορισμὸν, κατασκευὴν, ἀπόδειξιν, καὶ συμπέρασμα, id est, propositionem, in qua est δεδομένον, datũ, & ζητούμενον, quæsitum: deinde explicationem dati: tertio explicationem quæsiti: quarto delineationem: quinto demonstrationem: sexto & postremo conclusionem totius. Nam in propositione quid de re subiecta, vel ipso dato quæratur, proponitur. perfecta enim propositio, & datum, & quæsitum habet, quamuis nõnullæ sint, quæ altero careant: postea ἔκθεσις ipsum datum per sese considerat, & ipso quæsito quasi præparat & struit viam. διορισμὸς seorsim proponit quid de subiecto quæratur. Delineatio verò solet ea addere, quæ ad inuestigationem quæsiti pertinent:

tinent: ipsa autem demonstratio, adhibitis certis atque firmis, priusq; concessis & affirmatis rationibus: id de subiecto dici, quod proponitur, confirmat. tandem facta ipsa demonstratione: conclusio redit ad ipsam propositionem, eamq; confirmatam, & demonstratam iam esse colligit: solet verò interdum duplex esse, vna specialis in ipsa delineatione, & demonstratione facta: altera generalis, quæ totã confirmationem propositionis datæ colligit vniuersaliter.

Ex his vniuscuiusq; problematis, aut theorematis partibus maximè necessariæ sunt istæ tres. Propositio, demonstratio, & conclusio: reliquæ interdum adhibentur, & id vt plurimũ interdum non adhibentur, vt in Arithmeticis fit, & in decimo Euclidis libro.

Πρὸς τῇ δοθείσῃ.) *Sunt quædam in Geometria, quæ nobis solent in medio demonstrationis cursu occurrere; qualis etiã in hac propositione est* πτῶσις, *casus. dicitur autẽ casus nihil aliud esse: quam delineationis transpositio, quæ fit propter diuersas positiones. ab hoc casu quædã propositiones dicũtur Græcis* ἄπτωτα

προβλή-

προβλήματα, problemata quæ carent casu, quando vna tantum est positio, & delineatio: siquidem casus respiciunt ipsam delineationē: quædam verò nominantur πολύπλωϛα proble mata multos casus habentia: in quibus aliter atque aliter fieri possunt delineationes. Hoc itaq; secundum problema, multos habet casus; varias etiam delineationes. nam cum punctū detur positione, illa fieri potest varijs modis: vel enim ponitur extra datā lineam rectam, vel in ipsa linea recta: & si in ipsa, aut erit al terum extremorum: aut inter ipsa extrema: & si extra ipsam, aut à latere, ita vt recta protracta à puncto ad datam lineam rectam, angulum faciat, aut è directo. Euclides sumpsit casum difficiliorem, & punctum extra lineam rectam datam à latere eius ponit.

Δοθείσῃ εὐθεία.) Omne datum vel datur θέσει, positione, vel λόγῳ, ratione, vel μεγέθει, magnitudine, vel εἴδει, specie. positione tantum datur ipsum punctum; linea verò, & reliqua Geometriæ subiecta. omnibus modis. hoc tamen in loco linea recta datur εἴδει specie, est enim linea recta & θέσει positione.

Δύο

Δύο δοθεισῶν.) *In hac propositione lineæ dantur magnitudine: ipsa delineatio multos habet casus: nam aut distant inter se, vt apud Euclidem: aut in vno puncto coniunguntur: aut sese mutuo secant: aut altera alteram in extremo alterius puncto tantum secat: & vel maior minorem, vel minor maiorem: & quicunque eiusmodi fieri possunt casus. Veruntamen ad omnes huiusmodi casus, Euclidis demonstratio accommodatur.*

Ἐὰν δύο τρίγωνα.) *Prius docuit trianguli constitutionem, quàm ea explicaret, quæ per se triangulis accidunt: præterea duabus propositionibus ostendit viam et methodum, qua lineæ rectæ, facienda sit alia recta æqualis. altera quidem non existentem facit per σύστασιν, constitutionem, & θέσιν, positionem æqualem. altera verò per ἀφαίρεσιν, ablationē, idque fecit vt latera laterib. posset æqualia proponere. dantur in hac propositione duo, æqualitas laterum duorum, & angulus angulo æqualis: idque datum ratione dari dicitur: quæruntur tria, basis basi, triangulus triangulo æqualis: reliqui denique anguli reliquis angulis æquales.*

Ἑκάτερον ἑκατέρῳ.) *Quia aliâs Theorema verum non esset: idcirco nõ simpliciter inquit latus lateri æquale, sed alterum alteri. possent enim duo latera simul iuncta duobus simul iunctis esse æqualia: sed non idcirco triangulus esset triangulo æqualis.*

Ὑπὸ τῶν ἴσων.) *Hoc addidit ne sumeremus basin: nam in triangulis duo latera dicuntur angulum aliquem comprehendere* περιέχειν, *tertium verò* ὑποτείνειν *subtendere: nam latera quæ angulis opponuntur è regione, sunt* ὑποτείνουσαι πλευραὶ, *latera subtendentia, & interdum* βάσεις *bases dicuntur, quòd tanquam fundamento figura ipsa hoc nitatur latere.*

Τρίγωνον.) *Intelligit aream ipsam triangularem, seu spatium ipsum, quod à trianguli lateribus intercipitur.*

Demonstratio tota facta ex his duabus propositionibus, quæ inter se applicata conueniunt: æqualia erunt: & vicißim. Quæ inter se sunt æqualia: si applicentur, conuenient etiam inter se.

Τῶν ἰσοσκελῶν.) *Theoremata apud Geo-*

metras magnam habent varietatem. alia enim sunt ἁπλᾶ, simplicia, in quibus vnum est datum, & vnum quæsitum: quorum & data, & quæsita diuidi & seiungi non possunt. Vt si dicat Euclides, omnis triangulus æquicrurus: habet angulos ad basin æquales. alia composita σύνθετα, quæ ex pluribus vel datis, vel quæsitis constant. vt data sint plura, & vnum quæsitum: vel plura quæsita, & vnum datum, vel denique plura data, & plura quæsita. composita sunt duplicia: quædam dicuntur συμπεπλεγμένα, quæ possunt in alia simplicia theoremata diuidi: vt cum dico trianguli, & parallelogramma sub eadem altitudine existentia: eam habēt rationem, quam basis ad basin. de vtroque enim, & triangulo, & parallelogrammo seorsim eadem dici possunt. Quædam verò ἀσύμπλεκτα, quæ cū sint composita, in simplicia tamen theoremata diuidi non possunt: quale est præcedens theorema quartum. Est & alia diuisio theorematum, de qua alibi. Hoc theorema ex vtraq; parte, dati nempe, & quæsiti compositum est: idcirco etiam distinxit, quæ data sint & quæ quæsita.

Ἐὰν τριγώνου.) *In hac propositione duo nobis occurrunt explicanda: primum est ἀναστροφὴ τῶν προτάσεων: alterum ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδύνατον. Est autem ἀναστροφὴ τῶν προτάσεων: quando ex dato alicuius propositionis, fit quæsitum: & ex quæsito datum. vt triangulus æquicrurus, id est, habens duo æqualia latera: etiam angulos ad basim habet æquales, per ἀναστροφὴν, conuersionem sic. Triangulus qui angulos ad basim habet æquales: etiam est æquicrurus, id est, duo habet æqualia latera: nam propositio quinta hic cõuertitur iam dicto modo. Est etiam alia conuersionis ratio in propositionibus compositis obseruata: quæ fit permutatione partium, etsi non omnium, tamẽ aliquarum: vt fit in octaua propositione: quæ conuertitur cum quarta. Quare notemus hic esse duo genera propositionum: vnum est τῶν προηγουμένων, quando id quod natura subiectum est, datur: quodúe illi per se inest, quæritur de eodem: alterum τῶν ἀντιστροφῶν, cum è contrario σύμπτωμα seu accidens quoddam datur: et id, cui hoc accidit, in quæstionem adhibetur. vt in his duobus li-*

bus licet videre propositionibus, quinta, & sexta. Proximum est, vt dicamus de ἀπαγωγῇ εἰς τὸ ἀδύνατον, de reductione ad impoßibile. sciendum itaq; est, quòd omnis demonstratio mathematica, vel fit ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, quæ ab ipsis principijs ad ea, quæ ex his demanant, progreditur: vel ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, dum à re proposita regressus fit ad principia. vtraq; verò est duplex: illa enim vel ex principijs rem propositam confirmat: vel ex rebus antea affirmatis, & conceßis: hæc autem vel est θετικὴ, & nominatur ἀνάλυσις, cui opponitur σύνθεσις: vel ἀναιρετικὴ, & dicitur ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδύνατον. est autem reductio ad impoßibile: quando in aliquod manifestum absurdum, & impoßibile desinimus: & cuius contrarium omnes fatentur esse verum: eam quoq; faciunt bifariam: vel enim nos deducit ad ea, quæ principijs, ipsisq; axiomatibus manifestè repugnant, vt si quis sua argumentatione eò deueniat, totum esse æquale parti: vel ad id, quod demonstratis, & affirmatis è directo opponitur: sicuti facit in demonstratione propositionis octauæ. sit igi-

tur reductio ad impoßibile, cùm id quod quæsito repugnat, accipimus pro vero: & ita progrediendo tandem in manifestum absurdum incidimus: quo deniq; sublato, id confirmamus, quod ab initio erat propositum, verum esse. Hæc demonstrandi forma syllogismis vtitur hypotheticis, quemadmodum in directis demonstrationibus vtimur categoricis. Hoc in loco Euclides conuersione est vsus in propositionis partibus: deductione verò in ipsa delineatione, ac demonstratione.

Ἐπὶ τῆς αὐτῆς.) *In geometria, & Arithmetica, vt plurimum sunt propositiones vniuersales affirmatiuæ: verum Euclides hîc posuit negatiuam, sed omnibus additamentis ita eam muniuit: & tam certam, atq; indubitatam reddidit: vt minimè conuinci poßit: quamuis non magnum in Geometria vsum habeat: tamen præcipuè posita est ad confirmandam octauam propositionem.*

Τῶν δοθεισῶν.) *Angulus hic datur specie tantum: potest enim omnibus quatuor modis dari, nempe positione, cùm ad certum quoddam punctum constituitur: forma deinde, vt*

si po-

si ponatur esse rectilineus: ratione verò, quando duplum triplúmue statuo: deniq; magnitudine, si dicam eam esse tertiam recti partem.

Πεπερασμένην.) *Omnis enim linea recta aut est finita ex vtraq; parte: aut ex altera tantum finita, et ex altera infinita: aut deniq; ex vtraq; parte infinita.*

Κάθετον εὐθεῖαν.) Κάθετος *perpendicularis etiam dicitur* γνώμων: *& eandem habet naturam cum ea, quæ nominatur* ἡ πρὸς ὀρθὰς γωνίας. *est autem duplex: vna plana, altera solida. plana perpendicularis est: quando à puncto aliquo, ad lineam rectam in eodē plano existentem alia linea recta ducitur: vt anguli contigui sint æquales: quam in hoc loco antea ducere præcepit. Solida, quæ in Stereometria consideratur, dicitur quando punctum in alio fuerit plano: & non ad rectam, sed ad aliud planum ducitur linea quædam ad angulos rectos. differunt igitur inter se: quia perpendicularis est in eodē plano, & ducitur ad lineam rectam: solida verò nō in vno eodemq; plano, nec etiam ad rectam, verum ad planum ducitur: deniq; in solida id consi-*

derandum, quòd ad omnes quæ in eo sunt plano rectas, non ad vnam tantum, vt plana, debet esse perpendicularis.

Απάρον.) Quæ pro nostro sumitur arbitrio satis longa vel breuis, longior vel breuior: vt visum fuerit necessarium esse ad rei demonstrationem.

Κατὰ κορυφὴν.) Differunt anguli ἐφεξῆς, & anguli κατὰ κορυφὴν: quòd anguli ἐφεξῆς contigui fiunt per lineam, quæ alteram non secat: sed anguli κατὰ κορυφὴν per lineas duas sese secantes, sic dicti sunt, quod vertices in vno coniungant puncto.

Εκ δὴ τούτου.) Locus hic expostulat vt aliquid dicamus de corollario. in elementis igitur πορίσματα, seu corollaria sunt propositiones, quæ dum aliæ demonstrantur, simul apparent, & manifestæ fiunt: nobis etiam non quærentibus, aut inuestigantibus eas. quale est hoc præsens πόρισμα. dum enim proponitur, quod duabus lineis rectis sese secantibus, anguli ad verticem sint inter se æquales: et firmis demõstratur rationib. in ipsa occurrit nobis demonstratione: quatuor illos angulos es-

los esse æquales, quatuor rectis. Itaq; lucrifecimus per ipsam hanc propositionem, hoc πόρισμα. tripliciter verò diuiduntur: primum enim omne corollarium vel est Geometricũ, vel Arithmeticum, vel alterius scientiæ, vt iam dictum, proprium est Geometriæ. In septimo verò Euclidis libro, propositione secunda, est Arithmeticum. deinde quædam corollaria sequuntur ipsa problemata: quædam verò theoremata: nam in hoc loco theorematis corollarium habemus: verum in libro secundo problematis. tertiò alia corollaria sunt demonstrationis directæ: alia verò indirectæ, sicuti hoc præsens porisma, natum est ex demonstratione directa: sed in propositione prima libri tertij: facta demonstratione per reductionem ad impossibile, nascitur corollarium. possunt & alia porismatum discrimina tradi: nobis tamen hæc monstrasse satis est.

Ἐκτὸς γωνία.) *In definitionibus mentionem fecit diuisionis angulorum substãtialis: nunc alia est facienda eorum diuisio per accidens. omnis angulus vel est ἐντὸς, vel ἐκτὸς. id est, omnis angulus vel est intra ipsam figu-*

ram, vel extra eam. deinde anguli quidam sunt ἐφεξῆς, quidam ἀπ' ἐναντίον, id est, contigui, aut oppositi. in triangulis igitur sic se res habet, quando aliquod trianguli latus extenditur: nascitur angulus qui ad ipsam trianguli substantiam non pertinet, & cùm extra figuram existat: nominatur externus. Verum ex illis tribus, qui ad triangulum pertinent: vnus qui ei est proximus, nominatur contiguus, reliqui verò duo oppositi: respectu eius, qui extra triangulum est.

Παντὶ μεταλαμβανόμεθα) Est Geometrica phrasis, qua vtimur, dũ volumus ostendere, quouis modo sumi vel latera, vel aliquod aliud Geometriæ subiectũ, aut accidẽs per se.

Explicauit Euclides quæcunq; in primis illis elementis poterant dici, de triangulorum constitutione, æqualitate, aut inæqualitate eorundem, aut etiam laterum, & angulorum: nunc pergit de quadrilateratis figuris enarrare ea, quæ ad eorum contemplationem elementarem pertinẽt. Cùm verò ex lineis æque distantibus fiant eiusmodi figuræ: prius earũ proprietates docet, & parallelogramma constituit:

stituit: postea persequitur doctrinam de figuris quadrilateris, seu parallelogrammis. est autem παραλληλόγραμμον figura quæ circumscribitur lineis rectis æquedistantibus, atque oppositis inter se.

Tria itaque in lineis parallelis sunt consideranda, quæ eis per se insunt: & ita attribuuntur: vt inde cognoscere possimus lineas rectas esse æquedistantes. Primum est, vt anguli ἐναλλὰξ alterni (qui fiunt per lineam rectam in alias duas rectas incidentem) sint inter se æquales. Alterum, recta linea incidente in duas alias rectas: si anguli interni fuerint duobus rectis æquales: tum propositæ duæ rectæ sunt æquedistantes. Postremum, Recta linea secante alias duas rectas; si externus angulus, angulo interno sibi opposito ex eadem parte, fuerit æqualis: iterum erunt illæ rectæ æquedistantes.

ἢ εἰς τὰς.) Hoc Theorema conuertitur cum ambobus præcedentibus. in demonstratione vtitur propositione, quæ inter principia est relata: sed principium non est.

Παντὸς τριγώνου.) Ea quæ decima sexta, & de-

& decima septima propositione erant omissa: in hac præsenti addit, et quanto minores sint, explicat; nempe tertio, & huius propositionis: maxima est vtilitas.

Αἱ τὰς ἴσας.) *Hæc propositio finit doctrinam linearum æquedistantium: & incipit parallelogrammorum traditionem.*

Τῶν παραλληλογράμμων.) *Postquam constituit parallelogrammon: inuestigat tria quæ parallelogrammis per se insunt. Primum latera opposita esse æqualia. Secundum, angulos oppositos esse æquales. Tertium, diametrum per medium ipsam secare figuram. Ita fit, vt à lateribus ab angulis, & ab ipsis areis, proprietates inquirat parallelogrammorum.*

Παρὰ τὴν δοθεῖσαν.) *Tria sunt apud Geometras vocabula:* παραβολὴ, ὑπερβολὴ, *&* ἔλλειψις. *cùm enim figura applicatur ad lineam rectam: vt neque excedat, neque deficiat: est tum* παραβολὴ *applicatio. quando verò excedit* ὑπερβολὴ: *cùm deficit* ἔλλειψις, *atque in Conicis figuris maximè considerantur ista.*

Ἀπὸ

Ἀπὸ τῆς.) *Videtur Euclides voluisse præstantiores figuras rectilineas describere: in triangulis, eum quem æquilaterum nominamus: in quadrilateris figuris ipsum quadratū.*

Ἀναγράψαι.) *Vtitur hoc verbo, quoniam ab vno latere describitur:* συστήσασθαι *verò est, cùm ex multis constituitur.*

Ἐν τοῖς ὀρθογωνίοις.) *In hoc, & sequenti theoremate vtitur* λήμμασι, *id est assumptiuis propositionibus, vtpote: Quæ ab æqualibus rectis lineis descripta sunt quadrata: illa sunt æqualia inter se. item æqualium quadratorum: æqualia sunt latera.*

In quibusdam etiam propositionibus vtitur alijs λήμμασι, *assumptionibus, quas hic subiungam.*

I. Si prima magnitudo fuerit æqualis magnitudini secundæ: & secunda maior sit tertia: erit etiam prima maior quàm tertia.

II. Si prima magnitudo fuerit maior secunda: & secunda sit æqualis tertiæ: erit etiam prima maior quàm tertia.

III. Si

III. Si prima magnitudo fuerit maior quàm secunda: et secunda maior sit quàm tertia: erit etiam prima longè maior quàm tertia. Sunt & alia huius generis, de quibus aliâs.

EX SCRIPTIS HIERONIS *Alexandrini de Geometricis definitionibus selecta quædam in vsum Academiæ Argentinensis.*

PVnctum est, cuius nulla est pars: aut terminus sine interuallo: vel terminus lineæ. eius verò natura talis est: vt ratiōe tantum percipiatur: quia nullam habet partem, neq; vllam magnitudinem. ideoq; aiunt punctum tale quippiam esse: quale est id quod in temporis consideratione præsens & instans est tempus atq; momentum. imò tanquam vnitas quæ positionem habet. Itaq; patet punctum quo ad substantiam idem esse cum vnitate. Sunt enim ambo talia, quæ diuidi nequeunt, quẽũt, & incorporea atq; partis expertia existunt) differunt tamen superficie & habitudine. Vnitas etenim est principium numeri: punctum verò principium substantiæ geometricæ. sed est principium ipsa expositione, non autem vt pars lineæ: sicuti vnitas est pars numeri: simul tamen percipitur. nam quando mouetur, vel potius imaginamur moueri, illud intelligimus in lineæ fluxu. vnde etiam punctum est principium lineæ: superficies verò est principium corporis solidi.

Linea verò est longitudo absque latitudine: vel primum quod in magnitudine habet subsistentiam: aut id quod vnico interuallo cõnstans diuidi potest. Fit autem linea, quando ex superiore loco deorsum fluit punctum: atq; eius notio comprehenditur per continuationem, finiturq́; punctis: ipsamet existens superficiei terminus. Dicetur itaq; linea esse idipsum quod distinguit radium solarem ab vmbra: aut vmbram à parte illuminata: quodúe in veste intellecta atq; concepta tanquam continuo separat: purpuram à lana: & econtra lanam à purpura. Nunc ergo cum consuetudine

quadam

quadam habeamus lineæ notitionem : quia longitudinem tantum habet: non autem latitudinem aut profunditatem : ideo dicimus parietem exempli gratia esse centum vlnarum: neque illius respicimus aut latitudinem aut craßitiem . sic quoq; viam quinquaginta stadiorum, vbi longitudinem tantum, non autem latitudinem stadiorum inquirimus. quasi linearis sit hæc ipsa enumeratio : quam & Euthimetricam nominant.

Lineæ aliæ sunt rectæ, aliæ rectæ non sunt: atq; ex ijs quæ rectæ non sunt : nonnullæ quidem circulares existunt, quæ & circumferentiæ nominantur . quædam verò speciem habent helicæ, reliquæ sunt curuæ. Est itaque linea recta quæ ex æquo inter sua est posita puncta, erecta existens, & tanquam ad extremum extensa ad extremitates: eaq; est vicinißima omniū̃ linearū̃, quæ inter duo puncta ductæ, eadem habent externa puncta : cuius quoq; partes omnibus partibus omni modo applicatæ solent conuenire . deniq; recta linea est quæ manentibus extremis : ipsa quoque manet immota . tanquam ea quæ vertitur in

eodem

eodem plano. atq; circa easdem extrema perpetuo eundem tenet locum. neq; verò vna recta, neq; duæ figuram facere possunt. Circulares lineæ sunt, quæcunq; circulariter, vel circa vnum punctum ad extremum extensæ, vel circulos, vel circulorum partes absoluunt: solæ ex omnibus alijs lineis efficientes figuram. Curuarum atq; flexarum linearum numerus est infinitus. aliæ siquidem in easdem partes habent sua concaua: nonnullæ verò non habent. Linea ergo flexa concaua in easdem partes est: quando duobus in ea sumptis punctis quibuscunq;: recta quæ illa coniungit puncta: vel in ipsam cadit lineam: vel intra eam: nunquam verò extra ipsam. quæ verò hoc modo se non habet: non est flexa concaua linea in easdem partes. Helix autem seu helica linea in plano quidem est, quando alicuius lineæ rectæ altero extremo manente, mota ipsa in plano fuerit: donec ad eundem redeat locum: simul punctum aliquod circumfertur: quod cum recta simul moueri cœperat à manente te extremo. linea illa itaque quæ per hanc rectam fit, est circulus: linea verò altera quæ *fit per punctum quod circumfertur ad lineam rectam, appellatur helix vel helica.*

Quando parallelogrammi alicuius vno latere rectum angulum ambientibus manente: ipsum parallelogrammum quidem circumuoluitur, donec ad eum vnde cœperat moueri locum redeat: atq; simul cum parallelogrammo punctum aliquod circumuoluitur in linea æquidistante non manente: atq; illud ab altero extremo incipiat: tum figura motu parallelogrammi facta nominatur Cylindrus: illa verò quæ fit per punctum quod circumfertur linea: fiet helica: cuius queuis pars cuiuis parti applicata conuenit: quando eius concaua in easdem fuerint partes.

Superficies est quæ longitudinem & latitudinem tantum habet: aut terminus atque finis corporis & loci, vel magnitudo duorum interuallorum: vel etiam finis & terminus cuiusuis figuræ solidæ aut planæ apparens in duobus longitudinis scilicet atq; latitudinis interuallis. Fit autem fluxu lineæ secundum latitudinem fluentis à dextris ad sinistra. Intelligitur autem superficies esse omnis vm-

bra,

bra, omnisq; color. vnde & Pythagoræi superficies appellarunt colores. Sic intelligetur etiam quando aër terræ miscetur: aut corpori alio solido, vel aër aquæ: aut aqua poculo, vel simili alicui vasi. Superficies plana est, quæ ex æquo inter suas posita est lineas rectas. recta existens explicata: quam cum recta linea in duobus punctis tangit: etiam tota ipsa omni loco omnimode applicata conuenit. hoc est quæ toti lineæ rectæ applicata conuenit. præterea breuissima ex omnibus quæ ijsdem continentur terminis superficiebus: cuius deniq; omnes partes applicatæ conuenire solent. Superficies verò non planæ sunt: quæ hoc modo se non habent: hoc est quæ secundum lineam rectam non sunt explicatæ; sed quandam habent inæqualitatem: neq; per omnia sunt erectæ.

Corpus solidum est: quod longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet: vel quod tribus vtitur interuallis. Vocantur autem corpora solida: ipsa loca. Corpus itaq; mathematicum est, quod tria habet interualla: sed corpus simpliciter dicitur, quod tribus constat interuallis cum repercusſione aut duritie atq; reflexione. Omne verò corpus terminatur atq; finitur ſuperficiebus: atq; fit quando ſuperficies ab anterioribus ad poſteriora ducitur.

Angulus eſt ad vnum punctum contractio: quæ fit atq; perficitur per ſuperficiem aut lineam refractam. appellatur verò refracta linea: quæ ſi protrahatur ipſa ſibi ipſi concidit. Anguli autem omnes aut ſunt plani, aut ſolidi: atq; hi plani & ſolidi anguli: alij ſunt rectilinei, alij verò rectilinei non ſunt. Communiter itaq; planus angulus eſt, inclinatio duarum linearum in eodem plano ſeſe mutuo tangentium, & non è directo poſitarum. Sunt autem non continuæ ſeſe mutuo tangentes lineæ: quando atera protracta ſuo nutu in alteram non incidit. Aliter. Angulus planus eſt inclinatio lineæ in plano ad vnum punctum, vel contractio ad vnum punctum per lineam fractam. Angulus verò planus rectilineus nominatur, quando lineæ quæ eum continent fuerint rectæ. vel enim angulus planus eſt nutus & counio linearum inter ſe, in eodem

dem plano, aut lineæ rectæ ad vnum punctum reflexio. atq; sic Pythagorei angulos hos appellarunt glochinos, hoc est, cuspidales angulos. Angulorum quidem in planis superficiebus non rectilineorum: est infinita multitudo: rectilineorum verò angulorum species sunt tres. alij siquidem recti, alij acuti, alij deniq; obtusi vocantur. Angulus itaq; rectus est, qui est opposito angulo æqualis. Oppositi verò anguli sunt, quos facit recta super recta stans. Nam si recta super recta fuerit constituta: feceritq; angulos cõtiguos inter se æquales: tum vterq; æqualium angulorum est rectus. Acutus est angulus qui minor est recto: obtusus qui recto maior. Nam si recta super recta constituta fecerit angulos inæquales: tum minor nominatur acutus: maior verò obtusus. Omnis itaq; angulus rectus: omni recto est æqualis, non autem omnis acutus omni acuto æqualis erit: neq; omnis obtusus omni obtuso æqualis. quia cùm recta super recta fuerit constituta, atq; ab angulo recto declinauerit: tum eousq; minuitur acutus angulus: donec in vnum coeant duæ lineæ rectæ, & altera alteri *congreditur: seu altera in alteram incidit, sic etiam recta super alia recta constituta, & ab angulo recto declinate, eousq; maior fit angulu obtusus, donec perpendicularis quasi resupinata incumbens rectæ: ei quæ subiecta est continua fiat. Angulus itaq; rectus: et tempus præsens seu instans: deniq; vnitas: eodem se habent modo. nam angulus rectus idem existens consistit. cùm tamen acutus & obtusus in infinitum vsq; mutentur. sic & vnitas eadem permanet: diuisio verò & compositio numerorum circa ipsam fit: eodem modo tempus præsens seu instans: & ipsum consistit: præteritum verò & futurum in infinitum procedit. Angulus solidus communiter est contractio ad vnum punctum, quando superficies ex ijsdem partibus habuerit concaua. Atq; aliter: Angulus solidus est qui pluribus quàm duobus planis angulis continetur: vel contractio solida ad vnum punctum superficiei refractæ ad lineam: quæ etiam protracta: ipsa sibijpsi non coincidit. Intelligitur verò protracta esse, quando non apparet totam suam longitudinem egressa esse: sic & planum pro-*

tractum

tractum esse intelligimus. Propriè tamen anguli rectilinei solidi appellantur, quorum superficies quæ angulos faciunt: continentur angulis rectilineis: vt pyramidũ et polyedrorum atque cuborum. anguli verò solidi non rectilinei sunt, qui hoc modo se non habent, vt anguli conorum.

